DE

P. PAPINII STATII SILVIS

DE

P. PAPINII STATII SILVIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

AD GRADUM DOCTORIS PROMOVENDUS

PROPONEBAT

Leo CLARETIE

Scholæ Normalis olim alumnus, in ordine litterarum aggregatus
in Duacensi gymnasio professor.

LUTETIÆ PARISIORUM

TYPIS LAROUSSE

VIA DICTA MONTPARNASSE, XVII

MDCCCXCI

Ornatissimo et doctissimo viro

Gaston ***BOISSIER***

Uni ex Gallicæ Academiæ XL, latinæ poesis in Gallico Collegio et in Schola Normali professori.

Hoc minimum grati animi pignus.
D. D. D.

PROOEMIUM

Quæ qualesque fuerint poeticæ Statii dotes, præcipue si ad Silvas spectes, inquiremus. — At enim unde fit, ut Statii ingenium æstimare aggrediaris, epicis ejus poematibus neglectis? Nonne periculum est ne, omissa ejus operum parte, disjecti poetæ membra tantummodo supersint? — Non ita se res habent, si modo profitendum est, ibi demum scriptorum veram speciem sincerumque habitum apparere, ubi non tam scientiam artemque veteresque carminum locos adhibere, quam veros animi motus intimasque ipsorum cogitationes describere conantur. In Silvis enim Statius sponte sua nobis exprimit quæ sentiat, quas poeticas opes usurpare valeat, quibus cogitationibus affici soleat, quo mœrore lugere, quibus voluptatibus delectari, quanta admiratione moveri, quibus assentationibus potentes amicos prosequi, quo modo in domo sua inter uxorem privignamque degere, qua ambitione laborare videatur : quæ omnia in *Thebaïde* non apparent.

Cum Statii, non Cleontis Achillisve imaginem ducere conemur, Silvas igitur percurremus. Quod vero ad rationem rerum exprimendarum pertinet, quum sæpe et in Silvis utatur iisdem figuris argumentisque, atque in epicis carminibus, nonne liquet Statii ingenium, Silvis perlustratis, bene definiri posse (1)?

(1) Jam Lehanneur (*De Publii Papinii Statii vita et operibus quæstiones.* 1878, Cap. V) de *Silvis* breviter disseruit.

Quæ vero de Statio, nostra quidem sententia, jure æstimari possint, breviter exponemus.

Nec de re grammatica, nec de re poetica (1) dicturi sumus, sed fidam Statii effigiem ducere conabimur, perscrutati præcipue quæ in *Silvis* senserit, quibusque rationibus usus, carmina sua scripserit.

Inquiremus qualis animus ei fuerit, rati eum abhorruisse a gravibus elatisque cogitationibus, ardentibusque motibus illis, qui concitatum animum extollere et quatere solent; nobis vero quærentibus, quos sensus in pectore gesserit, apparebit affectus mediocres, humiles et plerumque fictos illi fuisse, cum nempe eos doctius edere sciat, quam ut permoveri videatur. Quam quasi siccitatem tristes quidam mœstique versus de hominum vita rerumque natura nobis ostendent.

Talia a natura obtinuit : tum quæremus quo modo, qua in regione, quibus temporibus fuerit educatus, quæ a patre didicerit : inde intelligemus, quales ejus scribendi dotes consuetudinesque fuerint.

Quod enim ad artem attinet, liquebit Statium nostrum ex imitatione Græcorum et e paterna rhetorica atque eruditione plura duxisse. Cum graves mentis cogitationes elatique vel flebiles sinceri animi affectus ei desint, alias tamen dotes in condendis carminibus non inurbane adhi-

(1) Infinitum est opus edendorum emendandorumque Statii carminum. Ex quo Poggius sæculo XV in monasterio Sancti Galli archetypum illum nunc deperditum reppererat, ex quo Angelus Politianus editionem principem dedit ann. 1472, plurimi poetæ Napolitano salutem lucemque afferre conati sunt, Domitius Calderinus, Politiani adversarius, deinde Avantius, quique Aldinas curaverunt, mox Bernartius Gevartiusque et Gronovius, tum C. Barthius et Guietus Peyraredusque. Deinde Nicolaus Heinsius, Jeremias Marklandus felicissimo ingenii acumine Statium enucleare aggressi sunt; præterea multa subeunt nomina eorum, qui eumdem laborem suscepere, Handius, O. Ribbeck, Dübner, Weber, Queck, Polster qui festivissimas emendationes proposuit. Quod ad versus laudandos attinet, plerumque eam lectionem observavimus, quam Bæhrens in editione sua (1876) dedit.

buit, tum memoriam incredibilem, tum miram imaginandi atque observandi vim.

Vividam enim insignemque observandi imitandique facultatem habuit, per quam tot egregias, elegantes curiosasque quasi tabulas pinxit, sive, in ejus libris, prata suaviter redolent, aut mare inter scopulos mugit, aut inter silvarum ramos, luna tremulo lumine flavos radios mittit; sive, urbem ingressus, in via transeuntes, vel stantes quosdam in quadrivio, tabernarumque adspectum aut villici cujusvis operariive speciem recordatur; sive in villa quadam amici tabulinum invisit, statuasque tabulasque nitentesque marmore aut ebore parietes miratus, describit.

Non modo plurima observat, sed etiam plurima recordatur, omnisque generis argumenta evocat, ut scriptis pretium addat, plura mutuatus tum ex deorum tum ex hominum historiis, tum e terrarum, tum e cœli descriptione, tum e veterum scriptorum operibus. Mythologias enim, hominumve historias, geographiam aut astronomiam, quidquid ad ornanda carmina valet, in poeticum festivumque delenimentum mira subtilitate vertit.

Cujus memoriæ minime cedit fertilis habilisque copia res imaginandi. Quam abunde callet plura fingere, variasque dicendi rationes invenire, longas vividasque fabulas e nihilo ducere, aut exempla, amplificationes, figurasque omnis generis reperire! Quæque singula in evolvendis Silvarum libris notata perspiciemus. Jam nunc animadverti potest, Statium mire et vivide observavisse et depinxisse ea, quæ sub oculis jacentia videbat. Si quidem ea, quæ depingit, ejus animum parum movent, attamen omnia ejus sensus ita pelliciunt, ut rerum formam, colorem, sonitum summa veritate reddere valuerit. Oculis, potius quam mente, cuncta intuetur.

Quam vividam res depingendi facultatem hebescere apparet, ubi temporis aut locorum spatio describenda distant. Frigent, nedum expresse vivere videantur, ejus mythologicæ, historicæ, geographicæ explanationes. Præsentia, non distantia, scrutari valuit, quasi oculorum imbecillitate quadam laboraret.

Itaque totam suam imaginandi vim ita consumpsit, ut tantummodo rhetoricas plurimas dicendi rationes inveniret, sermonemque his distingueret. Quum igitur propinqua considerat, pictoris officium sustinet; rhetoris autem partes agit, quum longinqua prospicit.

Quæ omnia leviter stringere nunc satis est, quo facilius hujus opusculi tenorem rationemque obtinere queas. Propositum punctum tulerimus, si, hoc opusculo perlustrato, liquerit Statio fuisse præsertim insignes singula recordandi, imaginandi, observandi dotes, potius quam elatos sensus mollesque animi affectus accipiendi facultatem; deinde si fidem fecerimus, plurima in ejusdem carminibus inesse, quæ obtestentur Statii nomen tamdiu apud posteros victurum esse, quamdiu adhuc exstiterit vigueritque.

PARS PRIMA

QUAS ANIMI DOTES

IN DEGENDO EXERCUERIT

CAPUT PRIMUM

Quæretur quæ fuerit ingenua Statii indoles.

P. Papinius Statius, ingenio quidem naturaque, non is fuit, cui elati sensus essent, qui acriter indignaretur, qui divino quodam ardore moveretur, qui strenue irasci aut flagranti studio incendi valeret. Immo omnium placidissimum et ad concordiam aptissimum et lenissimum virum eum fuisse apparet, et cum optimatibus blanditur, et cum hominibus de morum disciplina consilia largitur. Idem enim, humana scilicet natura contentus, carminibus acerbam satiram raro admovet; homines nunquam reprehendit aut objurgat, quasi et Statius, ut fabulæ illius persona, censuerit : « *Messieurs, ami de tout le monde!* » Parum est autem, si « amicum » dixero, cum eum videamus omnes, quos novit, foventem et religione quadam excolentem; cum, si Statio saltem credas, Domitiani regnum beatissima et felicissima ætas exstiterit! non vero necesse est temporis illius annales diu evolvisse, ut liqueat a poeta paululum res detortas et fictas esse. Quod si quæras, qua de causa Statius talia mendacia laudaverit, utrum Domitiani immanitas eum fugerit, an tyranni injustitiam æquo animo respexerit, subeat tamen in mentem, ab eodem Statio Neronem notatum (ferus Nero, S. V, II, 33) et Caligulæ memoriam infami labe exustam fuisse (heres immitis et furiis agitatus, S. III, III, 70). Domitiano autem regnante, Caligulam vel Neronem minimo periculo carpere Statio licebat, præsertim si calleret plures imperatores inter se

tanta arte conferre, ut comparatione Domitianus extolleretur : qua in arte vates noster prævaluit.

Nonnè tamen in hac adulatione id improbandum fuit, Statium ad optimates laudandos non fame, sicut Martialem, coactum fuisse? cui nonnullas opes fuisse verisimile est, quamquam Juvenalis scripserat :

> [Statius] cum fregit subsellia versu
> Esurit,

quamvis et ipse de semet ipso dixerit :

> Qua nunc tibi pauper acerra
> Digna litem.
>
> (*S.*, I, IV, 127.)

Statio enim erat « sub collibus Albæ rus proprium », in quod currentem undam adducere imperator ei permiserat (III, I, 61), et in quo poeta suo patri tumulum eduxit (V, III, 37).

Non igitur viros laudabat, ne esuriret; immo vero, cum necessitate minime premeretur, non erat cur eum excusaremus, qui tantummodo familiares blanditiis suis prosequeretur, quo securius res suas servaret, et amicos locupletes utilesque sibi compararet. Carmina enim in inclytissimas domos facilem accessum poetis aperiebant, cum ditissimus quisque versibus celebrari gestiret. Nam mirum est quanto favore Statii æquales carmina prosequi soliti sint. Quod universum versificandi cacoethes Juvenalis indignationem acresque jocos permovit. Nam poetis gravis auctor erat, cum Domitianus ipse « studium litterarum et amorem carminum simulans », teste Tacito (1), bibliothecas incendio absumptas impensissime

(1) *Hist.*, IV, 86.

reparari curaret, quinquennale certamen Capitolino Jovi instituеret, et in Albano quotannis Minervæ Quinquatria celebraret. Itaque, quo majore honore gens aliqua fruebatur, eo acriore studio flagrabat a pluribus poetis extolli, sive nuptiæ fiebant, sive quis infans in lucem veniebat, sive quis obibat, sive qua splendida domus ædificabatur, sive lauta ornatissimaque cœna convivis ponebatur. Igitur permulti poetæ potentes patronos frequentabant, qui simul omnes juberentur singula versibus exornare, Sabelli illius more quem Martialis attigit :

Laudas balnea versibus trecentis
Cœnantis bene Pontici, Sabelle.
Vis cœnare, Sabelle, non lavari (1).

Mutato nomine, de Martiale fabula habetur, necnon de Statio, ac de compluribus aliis, quorum vel nomina nos nunc prætereunt. Cogitanti enim quoties Statius Martialisque de iisdem rebus carmina scripserint, sicut duo athletæ in eadem arena inter se congressi, apparet in ditissima quaque domo honori fuisse, a pluribus poetis eventus eosdem celebrari. Nam Stellæ Violentillæque nuptias, Atedii Melioris puerum defunctum, Claudii Etrusci mortuum patrem aut ornatissimum balneum; Vindicis sigillum aut Earini lenocinia comamque, aut Lucani genethliacon pariter ambo cecinere, quo facundius tot illis gentibus, adhibito carminum decore, morem gererent : nonne autem verisimile est, eadem fortasse ab aliis etiam laudata fuisse, quorum opera tempus edax aboleverit? Idcirco quam multi poetæ! quæ ingeniorum varietas! quæ facundia copiaque scribendi! et cum resonant Codri Theseis, totque togatæ, totque elegi (2); et cum Canius Rufus im-

(1) *Epig.*, IX, 20.
(2) Juv., *Sat.*, I, 1.

probi Phædri jocos æmulatur, aut Sophocleos cothurnos induit (1); et cum Vopiscus Pindaricis plectris contendit, aut ad heroa robora chelyn tollit (2); et cum Callimachus facundo Brutiano palmam cedit (3); vel cum tot ceteri græce latineve Musas omni modo tentare atque invocare certant. Martialis, Juvenalis Statiive carmina aut Plinii Junioris epistolas legenti tam densi occurrunt,

> Quam multæ glomerantur aves, quum frigidus annus
> Trans pontum fugat.

Communibus igitur ætatis suæ studiis Statius paruit, quo facilius publicum favorem privatorumque gratiam captaret. Ad quam assequendam multum sudavit, multaque temere scripsit. Idcirco amicos semper probat laudatque, omnium vitiorum patiens commodusque censor; immo, eam indulgentiam adhibet, quæ viri cujusdam esse videatur homines spernentis, et semet ipsum tantummodo diligentis. Inde fit etiam ut apud Statium inhonestæ res minime reperiantur. Cum plerumque omnia laudet atque admiretur, vitia et dedecora, turpia aut vilia negligit omittitque, ne patronos suos vituperare aut castigare cogatur.

Quæ in Domitiano laudanda fuere, tantummodo animadvertit miratusque amplissime auget; pulchras tabulas, pretiosa triclinia, delicatos ac lepidos pueros, omnia denique, quæ in amicorum domo conspicua jucundaque videt, ea describit extollitque, nec inquirit quomodo acquisita sint, quomodo patroni omnibus illis divitiis aut pueris utantur. Visa depingit, neque amplius moratur.

(1) MART., *Epig.*, III, 20.
(2) STAT., *Silv.*, I, III, 100.
(3) MART., *Epig.*, IV, 23.

Parum curat, qua ratione homines inter se privatim degere soleant : non tam curiosus est, quam ut ea curet, quæ ad alienos non pertinere debent.

Qua ignoscendi facilitate Statius nobis apparet sicut lenis quidam festivusque assentator, dorso leniter inflexo, assidue subridens, quo dulcius mellitas blanditias susurret, denique eo corporis habitu, quem ipse, seipsum quasi imitatus, vivide descripsit :

> ......Postibus hærens
> Assiduus, nunc aure vigil, nunc lumine, cuncta
> Aucupor.
>
> (*Silv.*, I, IV, 119.)

Quod si suos patronos, Metium Celerem, Maximum Junium, Nonium Vindicem ceterosque ita laudat, quid autem cum de omnium amplissimo, scilicet de imperatore, agitur? Tum enim non fieri potest, ut longius procedant adulatio, impudensque mendacium vel prolixa res imaginandi augendique facultas : quas assentationes alter, ac Domitianus, procacissimas injurias profecto habuisset. Cujus delicatum Earinum a Jove, a Junone, a Venere, ab omni Olympo protegi docemur : felicem videlicet puerum, quem « imperatoria », nedum vulgaris, libido maneat !

Ad Domitiani mensam pransus, quomodo Statius vehementes violentosque animi sui motus comprimat? Quis furor! Quæ gaudia! Qui eum ad cœnâm vocabant, Hercule! non ingratum adjuvabant. Dum imperator incedit, nonne putes Martem ipsum aut Pollucem aut Bacchum aut Alciden te videre? Quid igitur mirum, si Statius ipse, imperatore conspecto, ex iis quemdam se spectare crediderit? Non tamen periculum est ut eumdem errorem de Domitiani vultu habituque, adspecta ejus statua in gallico nostro

musæo (1), committamus. Quin etiam, longius procedente assentatione, nonne et illius clementiam Statius extollit (*S.* III, III, 167)? Dolendum est, cum historiæ nobis omnino dissimilem Domitiani effigiem præbeant: liceat enim recordari, quanto gaudio quantisque clamoribus ejus necem plebs romana acceperit, dum, viis foroque lætitia frementibus, turba densa palatium invadente, imperatoris statuas dejecerunt, ejusque nomen in ædium fronte malleis aboleverunt : nonne ideo Juvenali potius credendum est, qui omnino alia de Domitiano professus est :

> Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
> Tempora sævitiæ, claras quibus abstulit urbi
> Illustresque animas impune et vindice nullo!
> Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
> Cœperat: hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.
> (*Sat.* IV.)

Statii autem æqualibus non maximo honori fit, Statium, ut pro temporibus, dignitatis suæ pudorisque curiosum exstitisse, si modo quis velit eum cum tot ceteris ætatis illius poetis conferre. Nonne enim Papinius et ferox superbusque fuisse, et ab omni dedecoris aut turpitudinis tabe abhorruisse videtur, si modo Martialis memineris, dum Parthenium admonet, togam suam consenuisse (IX, 50), aut Faustinum increpat qui versus acceperit, nulla reddita pecunia (V, 36); aut bonas lacernas a Rufo petit, accipitve a Stella tegulas ad tectum villæ suæ reficiendum (VII, 36), aut Regulum submisse precatur :

> Æra domi non sunt; superest hoc, Regule, solum
> Ut tua vendamus munera : numquid emis?

Qua saltem humili consuetudine Statius abstinuit, avi-

(1) LOUVRE, *Galerie des Antiques.*

dasque manus ad obtinenda munera porrexisse non videtur. Quod si laudandus est, quia istos mendicorum mores abjecerit, nihil est tamen cur ejus magnanimitatem sublimesque sensus splendide mirati extollamus.

Quamquam enim gravissimas elatissimasque res vel in *Silvis* attingit, et cum defunctis amicis parentat, et cum nascentem quemdam aut nubentes salutat, et cum deos celebrat, raro tamen pectoris nostri aditum aperit. Quamvis inter tumulos funereasque faces plerumque versetur, lacrimisque vultu suffuso sæpius lamentari soleat (1), tristitiam tamen parum sentit aut parum nobis addit, quippe qui de collectis his omnibus funereis carminibus in præfatione inscribat (*Prolog.*, I) : « Sed et Culicem legimus et Batrachomyomachiam etiam agnoscimus : nec quisquam est illustrium poetarum qui non aliquid operibus suis stilo remissiore præluserit; » eodem scilicet dicendi genere usus, quo Martialis suas facetias festivissimosque jocos legenti prætendit :

> Perlege Mœonio cantatas carmine ranas,
> Et frontem nugis solvere disce meis.
> (*Ep.*, XIV, CLXXXIII.)

Mœrentes consolari minime tentat, eisque nihil, nisi canoros versus, offert. Minime, philosophorum more naturam rerum perscrutatus, ea quærit, quæ mortem minus gravem faciunt, si quidem de animi immortalitate cogitaveris. Quæ censuerit de animi natura, de deorum hominumve sorte ac genere vix dicere ausim, adeo rarum fit, cum talia aggreditur. Postquam nos certiores fecit mundum a Fortuna Invidiaque regi (V, I, 138), nihil est cur eum amplius interroges, nam de istiusmodi rebus pauca

(1) Jam Lehanneur laudavit criticum De Guerle : « Stace est un poète lugubre, Rome eut en lui son Crébillon et son Young. »

cogitavit. Itaque cum mœrentem quemdam alloquitur, vilissimis ac maxime communibus sententiis abundat. Vulgares tritosque locos effundit, sicut : « Omnia functa aut moritura vides », aut « alium tibi fata Phileton dabunt », aut « habent et numina legem », et cætera. Amico quodam proficiscente, in artem navigandi invehitur, communesque locos sæpius quam eximias propriasque sententias nobis largitur.

Ipsi dii Statio majestatis verecundiam vix afferunt. Quid enim magis ridiculum, quam querelæ Herculis gementis de Pollii Felicis avaritia, et de exiguitate templi sui erubescentis : ecce blandis ulnis Pollium amplectitur, misereque mendicari incipit : « Da templum ! » dein, impetratas ædes suas ipse ædificare cogitur. Egregium, tantoque deo dignum munus, cum dextram humilem superbienti hospiti tendit, et cum magno molimine saxa ligonemque Tyrinthius movere conatur !

Quin, Lucanum, insignem illum miserrimumque poetam, quam communi malignoque cantu (1) deplorare aggreditur, nihilo tristior graviorque Martiale, cum de Natali Lucani officiosos versus componit :

Heu ! Nero crudelis, nullaque invisior umbra,
Debuit hoc saltem non licuisse tibi.
(*Epig.*, VII, 21, 22, 23.)

Statio enim ex ingenua sua indole non suppetebat, unde magnis egregiorum virorum virtutibus aut ingentibus miseriis moveretur : quæ omnia is demum miratur atque optime exprimit, qui ea ipse expertus est.

(1) Optime, de hac Lucani maligna laude, NISARD, *Poet. Lat. Décad.*, I, 271.

CAPUT II

Quæretur quos animi motus affectusque sentire valuerit.

Si quidem Statius excelsos nobilesque sensus raro profert, raro etiam ejus pectus mollibus dulcibusque motibus affici videtur, cum sæpius appareat res hominesque ab eo æquo incuriosoque animo adspici, cumque ejus dolor magis perite magisque litterate exprimatur, quam ut e sincero corde erumpat. Abhorruit enim ab incitatis illis furoribus, qui animum veritati virtutique confidentem penitusque flagrantem ad supera extollunt sustinentque. Igitur quoties Statius abstrusos suos sensus nobis furtim aperit, minime mirari debemus, si nihil apud eum invenimus, nisi vacuum et, ut ita dicam, exsiccatum pectus, et tristem morosumque animum, quasi omnia in hominum vita pessime se haberent. Quæ tristitia pulcherrimos gravissimosque versus scribenti incutit :

Quicquid init ortus, finem timet. Ibimus omnes,
Ibimus : immensis urnam quatit Æacus ulnis...
Nos anxia plebes,
Nos miseri, quibus unde dies suprema, quis ævi
Exitus, incertum !

(*Silv.*, II, I., 218, *sq.*)

Quanto fastidio, quam molesta satietate vitam parvi æstimat :

Nos, vilis turba, caducis
Deservire bonis semperque optare parati,
Spargimur in casus.

(II, II, 129.)

Quin, et in gloriæ ipsius tædium adducitur, quam nihil nisi nescio quem fumum esse judicat :

> Nos otia vitæ
> Solamur cantu, ventosaque gaudia famæ
> Quærimus.

Quam moleste, quam acerbe secum sub corde gemit, dum potentibus suis patronis arridere videtur! Cavendum tamen est, cum de hominum animis æstimandis agitur, ne, veritatis causa, ultra veritatem prodeas : sæpe enim is mendacium assequitur, qui verum nimia sedulitate inquirit. Cavendum igitur, ne Statio penitus detrectetur omnis facultas teneros animi motus quosdam sentiendi, cum nonnunquam appareat, eum sponte sua commoveri. Amisso enim puero, quo fletu, quo mœrore defunctum dolet! Quam miserabili flebilique animi ægritudine, quam variis lepidisque coloribus nobis refert pueri reptantis ludentisque graciles illecebras! Quam perite patris partes artemque exercet! Quam lepide se inducit puero verba sonosque monstrantem, dum reptantem solo dextra erigebat, demissus ad oscula (V, 5, 81)! Quis dolor sincerus, imo et eloquens (V, v, 49, *sq*)! Non minus flebilibus lamentis, defuncto patre, gemit : « Fas dixisse, pater, non tu mihi plura dedisses! »

Rari tamen ejusmodi loci sunt : qui nos tantummodo docent Statium, eum fuisse, qui suo dolori verba æquaret : aliorum vero mœrorem laboresque magis docte exprimit, quam ut et nos, scientiam artemque mirati, permoveamur : oblitus videlicet Horatiani illius præcepti :

> Si vis me flere, dolendum est
> Primum ipse tibi.

Quamquam nobis id obtestatur, parum liquet eum amico-

rum doloris participem fuisse « non ut unum e turba », nec incaute jurares eum huic operi « non quasi officiosum adsiluisse » (*Prol.*, V).

Quin, et cum ipse de propriis laboribus dolet gemitque, nonnunquam dubitamus, sincerusne sit ejus dolor an fictus, tanta animi tranquillitate erudita exempla felicesque amplificationes extendit. Ante patris mortui lectum, deorum historias recordatus lepide disponebat, quasi memoriam tantum suam exerceret, dum ejus pectus graviter affici oportebat.

Tristissimo enim mœrore confectus, nos docet quare sua lyra sileat, quum « ejus crines Parnasia vellera fugerint ». Dum ante patris tumulum plorat, extemplo mentem subit memoria Ascanii, Ænea patre defuncto, Albam urbem ibidem condentis! En ipsi vultus lacrimis suffunditur : sic flevere Icarium Erigone, virgo Marathonia, aut Astyanacta Andromache (*S.*, V, III, 75). Ne tamen mœrorem suum communibus tritisque figuris exprimere videatur, siccis oculis pacatoque animo nos admonet se procul abjecturum esse tot istas veteres explanationes in funebribus carminibus usurpari solitas :

> Nota nimis vati. Quis non in funere cunctos
> Heliadum ramos lacrimosaque germina dixit?

Hi sunt enim poetici doloris loci, quibus Statius tam sæpe uti assuevit, ut nos admonendos esse censeat, si semel istiusmodi ornamenta neglexerit :

> Me miserum! — neque enim verbis solennibus ulla
> Incipiam nunc! (*S.*, V, v, 1.)

Dolorem suum Statius nimiis clamoribus, nimio clangore exprimit. Tanto furore, tanta incitatione utitur, ut febri quadam eum agitari dicas. Non tamen ut omnino rhetorice

ferveat, nam naturali studio ingenuoque favore ea prosequitur, quæcunque attingit. Quamvis ejus mens potius quam pectus capiatur, non tamen omnino fucata arte concitatur. Furore enim illo incendi solet, quo omnia amplificant et augent meridianæ regionis illius incolæ, quasi sub splendenti sole omnia majorem speciem præbeant.

Si cujus funus deplorat, jures eum ipsum propriis natis orbari, tanto mœrore tantisque fletibus aera percutit, tantis motibus agitatur, tanto ejulatu, tanto singultu, tanto fremitu sonat, interrogat, exclamat, homines compellat, deos alloquitur, inanimas res implorat, πάθος omni modo usurpat.

Minime enim Statius afflictos mœrentesque placare aggreditur; cæterorum dolorem splendidis tumultuosisque versibus imitatur. Itaque non dolet, sed singultat; non mœret, sed comitiali quodam vitio quasi corripitur.

Adspice Melioris delicatum in rogo jacentem : abruptis venis vulnus hiat, patet lubrica plaga, Melior tigridis similis est, qui furit abactis fetibus; admoto tactu, non gemunt, sed latrant præcordia (II, I, 13). Ipse vates plorat, tristesque lituræ in verba scripta ex oculis cadunt. Glauciæ mors scelus est; Melior pæne inter flammas se projicit, ignique suas divitias offert; fusus humi, lucem aversatus, cadaver premit et osculatur : ipsi stupuere parentes. Haud aliter Statius Priscillam pro Abascanto deflet : conjux vestes scindit, famulos lassat, templorum limina pectore terget, semet necare tentat, defunctæque tumulum splendidum, aras, templum, statuas, epulas dicare gestit.

Quæ omnia magis tumultuosa sunt, quam ut vera sint. Veritatem nimiis singultibus egreditur, quasi omnia augeat, gentis illius more, apud quam, in Gallica Provincia

nostra, sub tepido Rhodani sole, in arenoso Medii Maris littore, cuncta natura majora esse videntur.

Profitendum est tamen Statium optime sensisse, quid suave jucundumque inesset in uxore diligenda, natisve osculandis, quidve amœnum haberet mutua conjugum amicitia. Aspice felices illos conjuges in Sorrentina Pollii Felicis domo :

Non ulla deo meliore cohærent
Pectora, non alias decuit concordia mentes.
(*S.*, II, II, 154.)

Statius nobis lepide dixit, quæ de conubio censeret : « Uxorem vivam amare voluptas est, defunctam religio. » (Lib. V, præf.) Talis sententia scribenti honori est. Quo dolore, quo amore nobis multa refert de suo patre, de matre, de conjuge! Quam mœstis vocibus matrem de conjuge defuncto flentem depingit! (V, III, 241.)

Caram uxorem, elegantem nec inurbanam mulierem, operum victoriarumque participem, quam vehementer, quam lepide dilexit, si modo mollis illius carminis memineris, in quo eam tanto amore extollit. Non minus patrem fovit. Quis enim melius filii amorem expressit! Nonne parentum vicem sine prole vitam agentium prius doluit, quam poeta ille noster id attigerit :

Seigneur, préservez-moi, préservez ceux que j'aime....
De jamais voir, Seigneur! l'été sans fleurs vermeilles,
La cage sans oiseau, la ruche sans abeilles,
La maison sans enfants!
(V. Hugo.)

Quæ vatis nostri ad Statii carmina nonne pertinere videntur?

Orbitas omni fugienda nisu...
Orbitas nullo tumulata fletu!

Idem ille Hugo quam festivam amœnamque imaginem puerorum delicatis membris ludentium balbaque murmurantium voce repræsentavit!

Il est si beau l'enfant avec son doux sourire,
Sa douce bonne foi, sa voix qui veut tout dire,
Ses pleurs vite apaisés,
Laissant errer sa vue étonnée et ravie,
Offrant de toute part sa jeune âme à la vie,
Et sa bouche aux baisers.

Et Statius gracilem illum jucundissimumque leporem amavit descripsitque :

O ubi purpureo suffusus sanguine candor,
Sidereique orbes radiataque lumina cœlo,
Et castigatæ collecta modestia frontis,
Ingenuique super crines, mollisque decoræ
Margo comæ? Blandis ubinam ora arguta querelis,
Osculaque impliciti vernos redolentia flores,
Et mixtæ risu lacrimæ!

(*S.*, II, I, 41.)

Aspice etiam hanc argutissimam venustissimamque scenam, dum puer festive ludit lætisque blanditiis dominum allicit :

Inceptas quis ab ore dapes libataque vina
Auferet et dulci turbabit cuncta rapina?
Quis matutinos abrumpet murmure somnos
Impositus stratis abitusque morabitur artis
Nexibus, atque ipsos revocabit ad oscula postes?
Obvius intranti rursus quis in ora manusque
Prosiliet, brevibusque humeros circumdabit ulnis?

(*S.*, II, I, 60.)

Domi gaudia, parentumque amorem, natorumque illecebras Statius eximie pinxit. Quam vivide, quam suaviter

nobis depingit propriam ipsius domum, suumque vitæ genus ac tenorem, dum inter dilectam uxorem amatissimamque et pulchritudine et ingenio conspicuam filiolam jucunde degit :

> Sive chelyn complexa ferit, seu voce paterna
> Discendum Musis sonat et mea carmina flectit,
> Candida seu molli diducit brachia motu.
>
> (*S.*, III, v, 64.)

Liceat nobis hanc lepidissimam domesticæ vitæ scenam (quæ nobis in mentem refert vitæ genus in Plinii Secundi domo acceptum), cum recentioribus illis versibus conferre, ubi poeta alter filiolam, domus decus et honorem, laudibus ornat :

> .... Le père pour la voir laisse plume et papier,
> Et la mère, au milieu d'une fleur ébauchée,
> Quitte l'aiguille et reste immobile et penchée.
> Et s'entre-regardant émus, émerveillés,
> Ils contemplent tous deux avec des yeux mouillés,
> La perle de l'écrin, l'orgueil de la famille,
> La vie et la gaîté de la maison, — leur fille.
>
> (THEURIET, *Intérieur*.)

Nonnunquam igitur Statius dulcibus mollibusque sensibus afficitur : quos sæpius permoto animo, neglectisque eruditione et memoriæ jocis, ab eo exprimi desideres.

CAPUT III

Quibus temporibus et a quo patre educatus fuerit.

Statii opera legenti non supervacuum est cogitare quam regionem incoluerit, quæ viderit tempora, a quo patre fuerit educatus (1).

Natus in inferiore Italiæ parte, intra annos 40 et 50 p. Chr. (2), in græca urbe, Græcos legit amavitque; in alexandrinis poematibus præcipue versatus, ad eorum imitationem assuevit res copiose describere, plura extra operis tenorem profundere, mythologicas humanasve fabulas usurpare, denique omnibus iis figuris uti, quæ Callimachum, Euphorionem, Theocritumve delectabant.

Statii enim ætate, scribunt ut edant, aut ut festivis

(1) De P. Papinii vita vide DODWELLUS, *Annales Velleiani Quintilianei Statiani*, Oxonii, 1698; GROSSIUS, *Observatorum in Statii Silvis specimen*, Berolini, 1861; HANDIUS, in editione *Statii*, vol. I; FRIEDLAENDER, *Rom. Sitt.*; IMHOFIUS et STOBBIUS, Philologus, XXVI, 1867; HERM. NOHL, *Quæstiones Statianæ*, Berolini, 1871, qui nova festivaque nonnulla invenit. Friedlaenderi conjecturas meditatus, Statii operi cuique suum annum tribuere non infeliciter conatus est.

(2) De ætate sua ipse poeta loquitur in *Silvis*, III, 5, 12; IV, 4, 70; V, 2, 159, ubi se senescentem depingit. Nohlius optime monstravit (*Quæst. Stat.*, p. 23) libros III, IV, V *Silvarum* compositos fuisse intra ann. 95 et 96. Statii vero pater mortuus est circa ann. 80, natus 65 annos. Verisimile est Statium intra annos 40 et 50 natum esse, et diem supremum obiisse sub finem imperii Domitiani, cum in ejus carminibus nulla vestigia posterioris temporis occurrant. Liber quintus, minus expolitus ac minore cura collectus, testatur poetam non multo post libri quarti editionem mortuum esse, id est circa annum 96. Itaque novit Claudium, Neronem, tresque illos brevissimos imperatores, Galbam, Othonem, Vitelliumque (69), ac deinde tres stabiliores, Vespasianum (79), Titum (81), Domitianumque (96). Nervæ initium utrum viderit, necne, incertum est.

urbanisque mentis jocis auditores recreare valeant, nedum exprimant quæ sentiunt : nefas enim, imperatore vetante, in animo recondita expromere. Ea igitur est poesis, quæ auditores juvare, poetam vero tueri possit; quæ in publicis recitationibus declamantem extollat, unoquoque carminum verbo accuratissime exquisito, quo lepidius similitudines, exempla, amplificationes sententiæque fulgeant : gemmas expolitas multaque lima cruciatas dicas (1). Eruditus doctissimusque sit, qui recitare vult; auditores enim aliter ac Juvenalis censent, dum gemit :

> Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
> Martis.

Multa vero describere ac fingere, variis permultisque figuris uti decebat, quo jucundius scriptores animos istiusmodi ornatus cupidissimos permulcerent. Nonne enim Quintilianus dicebat : « Si antiquum sermonem nostro comparamus, pene jam quidquid loquimur, figura est? »

Quos orationis lepores Statii nostri pater is erat, qui magnopere nato exercendos traderet.

Non modo solemus habitus quosdam animi accipere atque obtinere ex omnibus iis rebus, quæ inter homines ejusdem ætatis quasi errare ac volitare videntur, verum adolescentes ex peculiari educatione a parentibus data singularem suam mentis rationem ducentes videmus. Multa patri Statius debuit, cum nempe pater natum ad ipsius speciem figuramque finxerit. Filius autem, sicut Horatius, patri amplissimam memoremque gratiam tribuit, nam ipsius magistrum versibus copiose depinxit.

Qualis pater, talis filius : quod vulgare carmen Statii exemplum non frangit. Pater enim apud Neapolitanos non

(1) Exquisita festivissimaque de publicis illis recitationibus scripsit NISARD in notis illis paginis, *Poet. lat.*, I, 261-328.

inurbane versus condebat, genus illud famæ adeptus, quod in provinciarum oppidis gloriam imitatur. Quo nec magis assiduum nec splendidiorem poetam in poeticis ludis audire erat (1). Quo plausu, quo plebis favore in Campaniæ quinquennalibus declamare incepit!

Stupuit primæva ad carmina plebes
Eubœa, et natis te monstravere parentes.

Paulo post, eam artem auditores docere cœpit, quam tanta peritia ipse exercebat. Quem ut audirent permulti convenerunt, cum ejus nomen per totam illam regionem volitaret (V, III, 162 *sq*).

Qua fama fretus, splendidiorisque quasi scenæ cupidus, neglectis oppidanis suis, Romam ingressus, ad romuleam stirpem carminum artem discendam prospere elicuit, dum et ipse carmina sua expoliebat, sive incendium Capitolii deplorabat, sive Vesuvium erumpentem canere aggrediebatur. Inter ejus discipulos unus præcipue magistri curam sollicitudinemque in se convertebat et sæpe subridenti arridebat : nempe Statii veteris filius erat. Qui genitoris poeticum ingenium accepit imitatusque est. Patri autem fuere facillima fluensque scribendi copia, vis docilis ad omnia genera experienda, denique ea mentis facultas quæ quocumque verti pateretur, sive animos commovere tentabat « te, Pietas, implorans »; sive Justitiam cœlo revocabat, aut gemina lingua Facundia plangebat; sive græcos latinosve sermones, eroticas bacchicasve cantilenas, « Arcadia testudine pulsa », philosophiam, tragœdias graves hilaresve comœdias scribebat,

Sive orsa libebat
Aoniis vincire modis, seu voce soluta
Spargere, et effreno nimbos aequare profatu.
(*S.*, V, III, 101.)

(1) Cf. Friedlaender, Grosse, Nohl, etc.

Parum refert, quæ attingat, cum omnia ei, in omni genere præcellenti, facillima videantur.

Omnia namque animo complexus et omnibus auctor
Qua fandi via lata patet. (*S.*, V., III., 100.)

Quam infaustam facilitatem et filius servabit (1), ubique paratus ad ridendum et ad flendum cum jussus erit, ad admirandum vel ad cavillandum; psittaco quodam mortuo vel Cl. Etrusci patre defuncto lacrimis genæ pariter ei suffunduntur; idem festivos jocos effert, cum saturnalia tempora adsunt, nec admirationi suæ voces æquare potest, adspecta villa ubi pransurus est, necnon tertium Menecratis infantem mollibus lacrimis salutabit.

E patris educatione Statius his majorem melioremque utilitatem duxit, cum amicos potentes plurimosque sibi comparaverit. Illustrissimos enim auditores pater habuit, qui pontifices aut proconsules aut duces magistratusve postea fuerunt :

Et nunc ex illo forsan grege, gentibus alter
Jura dat Eois, alter compescit Hiberos...
Hi fora pacificis emendant fascibus, illi
Castra pia statione tenent. (*S.*, V, III, 185 *sq.*)

Poemata ab ipso in lucem edita optimates legunt, imperator probat :

Mirantur Latii proceres ultorque deorum
Cæsar. (*S.*, V, III, 203.)

Quos ingentes potentesque amicos Silvarum scriptor accurate excolere studuit, quo facilius imperatoriis cœnis in Palatio interesset, in villas optimatium ad mensam festaque vocaretur, Stellæ Violentillæque nuptiis adesset,

(1) NISARD : « Touchez-le du doigt, il en sortira un hexamètre. » *Poet. lat. decad.*, I, 262.

M. Vopisci Claudiique Etrusci rustica prædia inviseret, Plotii Grypi, Metii Celeris vel Domitiani ipsius tutelam clientelamque aucuparetur. Qui favorem, quem patri tribuerant, in filium eo libentius deferebant, quo utiliorem fructum exinde se ducturos fore sperarent, cum comis attentusque ille juvenis omnia diligenter scrutaretur, visaque jucundis versibus narraret, immo paululum augeret exornaretque.

Statius pater auctorque scriptorum istorum fuisse videtur, qui famam pro fame satiata hospitibus reddunt (1).

Silvarum scriptor is erat, qui istiusmodi munus optime præstaret, cum et hospitum servantissimus et rerum observantissimus esset. Statius id narrandi genus præcipue dilexit, quod ad recentissimas res pertinet, quodque recentes gallice « modernisme » appellaverunt. Præsentia quam præterita describere mavult; pingit quæ ante oculos jacent. Mythologica enim vel historias tanquam elegantiorem quamdam scribendi rationem versibus adhibet : recentia vero narrat; eum juvat memorare nuperrime acta aut vulgatam circumlatamque per triclinia fabellam, aut quadrivii vel vici cujusdam adspectum, aut cœnam quamdam memorabilem, aut novum quoddam ex ære signum ab amico emptum.

Quod in recentia studium nonne videtur quasi ex hereditate paterna Statio contigisse, si modo meminerimus in duobus patris poematibus recentissimos eventus commemorari, cum alterum quidem Capitolii incendium nondum exstinctum canat :

> Vix requies flammæ nec dum rogus ille deorum
> Siderat excisis, cum tu solatia templis
> Concinis; (*S.*, V, III., 199.)

(1) NISARD : « Il mit à louage son ventre et son talent. » *Ibid.*, 265.

alterum vero Vesuvium erumpentem describat : Vesuvii autem calamitas ultima fuit, inter res memoria dignas quas noverit, cum poemate suo nondum perfecto decesserit.

Denique ejusdem patris disciplina in educando nato causa fuit, cur is assueverit pessimis scribendi modis rationibusque indulgere, quæ in scholis declamationibusque usurpari solebant, quasque singulas enumerare tentabimus : tum nonnulla fingit vel recordatur, tum deorum hominumve historias vel terrarum descriptionem operi suo adhibet : splendida quidem sed fragilis ea poesis est, sicut varii illi nitidique flores sub vitreo tepidoque tecto crescentes. Statius carmina sua ita componit, ut ea, velut tabulati cujusdam trabes eximia arte conjunctas, facile dissolvere ac dirimere queas.

Nati memoriæ pater permulta memoranda laudandaque tradebat : in *Silvis* agnoscemus quæ veterum scriptorum opera pater coram discipulis enucleare solitus fuerit. Quid mirum si filius mythologicas fabulas, Homerique et græcorum poetarum carmina usurpaverit imitatusque sit, cum accipiamus in paterna schola Statium de omnibus illis scriptoribus disseruisse, atque explanavisse quis casus Trojæ, quam tardus Ulixes (V, III, 149 *sq*), quantus Mæonides equos pugnasque descripserit, quantum Ascraeus Siculusque senes agricolas ditaverint, quomodo quantisque illecebris cecinerint Pindarus, aut Ibycus, Alcman Stesichorusque ferox, Sappho vel Lycophron, implicitusque Sophron tenuisque Corinna. Quæ omnia didicit apud patrem, eademque imitanda in propriis versibus suis mente obtinuit.

PARS ALTERA

QUAS RATIONES IN EXERCENDA ARTE

ADHIBUERIT

CAPUT PRIMUM

Quo modo singula observaverit.

Si quidem Statius grandes sensus nobilemque indignationem violentosque animi motus raro profert, aliis vero facultatibus fretus carmina sua scribere videtur : nam modo multarum rerum meminit, modo multa fingit, modo obvia accurate observat ac reddit.

Ejus igitur poetica facultas e tribus his elementis constare videtur, scilicet recordandi, imaginandi atque observandi vi copiaque.

Statius res curiose observare amat; id vero observationis genus tantummodo libris suis adhibet, quam nostri gallice « externam observationem » vocare solent. Ideo noli a Statio quærere, quos sensus gerat, vel quomodo ipsius animus moveatur. Quod si tentaverit, quæ sentiat exprimere, non tam ea ipsa exprimit, quam multa alia recordatur, multa invenit, multa narrat, quippe qui sibimetipsi parum attendat.

Qualis vero rerum spectator, imo scrutator! Quanta cura omnia lustrat, notanda animadvertit, signat admiranda vel conspicua quæque, et rerum colores formasque, quidquid denique aures, oculos, sensus sollicitat! Cuncta scrutatur, ac mente tenet; ideo ex ejus carminibus mira vividaque urbis Romæ effigies duci potest. Romanorum vitam foris ac domi, publicam privatamque, observat ac depingit.

Statium sequamur, si quando libet publicis festis interesse, splendidis largitionibus a Cæsare in circo plebi

factis adesse, viam Appiam refectam, arena lutoque pulsis, ac munitam perlustrare, Melioris hortos invisere, ubi inter tremulas arborum frondes, prope lacus ripas, singularis illa platanus prospicitur, dum in lepidissimo carcere garrulus psittacus crepat. Melioris puero parentamus, exsequias vocati prosequimur ; dein, Statio comitante, urbem pererramus a Campi Martii limitibus ad Capitolium clivum, a Domitiana via usque ad Forum, attenti captique tum publicarum tum privatarum ædium ornamentis divitiisque ; purgatas aures præbemus poetæ dicenti quæ nuper Romæ evenerint, qui Cæsaris leo perierit, quam avem aut juvenem aut delicatum puerum aut patrem nos lugere oporteat, cujus mensæ assederit, cujus balnea, villam, tabulinum inviserit: nam omnia, si qua accidunt, statim Statius narrare ac celebrare extemporalibus versibus aggreditur, priusquam recentis eventus memoria hebescat ; neque unquam, si tempus poscit, licet ei, potentium amicorum favoris egenti, respondere, tanquam illustrissimus ille Voltarius noster : « Madame la duchesse d'Aiguillon m'a commandé de petits vers comme on commande des petits pâtés, mais mon four n'est pas chaud. »

Res tanta veritate sibi fingit, ut eas describendas quasi oculis adspiciat. Omnia videt ipse, facitque ut et nos ea videamus. Patrem recordatus, qui poeticis filii triumphis multa lætitia plaudere solebat, quamquam et ipse in arena concurrebat, ducta ex athletarum moribus translatione, nonne in circo adesse sibi videtur, dum ludos nobis rapida vividaque descriptione exponit :

> Attendunt cunei, spectatur Achaeis
> Ille magis, crebro dum lumina pulveris haustu
> Obruit.

Vacat Forum : statimque ante poetæ oculos apparet spectaculum Romæ inter calidos menses desertæ ; silent jurgia,

Messesque reversæ
Dimisere Forum. Nec jam tibi turba reorum
Vestibulo, querulique rogant exire clientes.
Cessat centeni moderatrix judicis hasta.
(*S.*, IV, IV, 39.)

Quam accurate, quam ingeniose omnia circumspecta notàtaque! Quam vivide omnia expressa! Quæque perspicit: sed rerum naturam rationemque inire nullo modo tentat. Colores enim ac forma rerum ejus oculos oblectant; minime tamen animo eum moveri liquet. Quum de se ipso scribit: « huc oculis, huc mente trahor » de mente plura promittit, quam quæ nobis ostendit. Rura licet aut vicos aut urbem percurrat, eum præsertim ea alliciunt, quæ variis coloribus micant, quæ trepidant, saliunt aut quoquo modo moventur. Amat pingere quadrivium quoddam, aut vicos, aut cives in via conglobatos, rusticos ante tabernas stantes. Amici cujusvis tabulinum ingressus, incipit:

Quid primum mediumve canam?..
Auratasne trabes?....
An *picturata lucentia* marmora vena?

Tum exquisitas res omnes, signa, tabulas, marmoreos parietes, viva variis modis metalla, ebur, gemmas, nitidum referentes aera testas, asarota, denique cuncta videt, cuncta studiose ac summa fide perscribit, sicut machinæ illæ quæ, sole juvante, præ se jacentia exacte imitantur.

Idcirco quam multæ, variæ jucundæque ut ita dicam tabulæ, quæ nobis, velut in viatoris cujusdam libello, evolvendas urbis rurisque quasi effigies suppeditant: tum agrestem situm Apennini montis, tum viæ sese flectentis angulum, vel navitas in margine maris exspectantes donec proficiscantur, vel lunam inter arbores lucentem,

vel interiorem rustici cujusdam casulam. Aspice arbores in dorso montis vento nutantes et in aqua remissas :

Nemora alta citatis
Incubuere vadis; fallax responsat imago
Frondibus, et longas eadem fugit unda per umbras.
Ipse Anien — miranda fides — infraque superque
Saxeus, hic tumidam rabiem spumosaque ponit
Murmura.
(*S.*, I, III, 17.)

Quo multo asperior locus hic, paucis lineamentis adumbratus :

Sparsum pelago montis latus, hirtaque dumis
Saxa.
(III, I, 13.)

Statius vernam æstatem sæpe ita depinxit, ut a consuetudine sua minime flecteret : vernales flores nullo modo ejus animum, tanquam juventutis jucunditatisque imago quædam, tentare videntur ; attendit tantum plantarum colori aut avium vocibus, quæ sensus attingunt :

Nunc cuncta veri frondibus annuis
Crinitur arbos; nunc volucrum novi
Questus, inexpertumque carmen
Quod tacita statuere bruma.
(*S.*, IV, v, 9.)

Quum sol occidit, umbra terras circumdante, non vespertina quadam tristitia movetur, sed tantummodo animadvertit nullo jam sono nec strepitu aures suas percuti :

Tacet omne pecus, volucresque feræque
Et simulant fessos *curvata* cacumina somnos,
Nec trucibus fluviis idem *sonus*, occidit horror
Æquoris, et terris maria acclinata quiescunt.

Nec tamen nox tam cœca est, quin rerum incertam sub vespere formam ejus oculi assidue intenti percipiant :

> Jam fessa dies et in æquora montis opaci
> Umbra cadit vitreoque natant prætoria ponto.
> (II, II, 48.)

Cui generi res describendi nec lepor quidam nec jucunditas deest. Quanto tamen felicius, si modo Statius passus esset animum suum tristi aut dulci illa voluptate tangi (1), quam Vergilius, ejus auctor ac magister, tam bene noverat, dum naturæ, ruris et montium occultas illecebras tam poetice exprimebat !

Si secundum litus maris deambulaverit, rerum formam potius quam sensus animo receptos memoria tenet. Hic navis cujusdam antennæ brachia longa esse videntur :

> [Puppis] innumeros utrinque rudentes
> Lataque veliferi porrexit brachia mali ;
> (*S.*, V, I, 243.)

illic, prope Gaurum montem, lucida phari lucerna mobiles Statii oculos advertunt :

> Trepidis ubi dulcia nautis
> Lumina noctivagæ tollit Pharos æmula lunæ.
> (III, v, 100.)

Qua rerum perspicue adspiciendarum facultate usus, Statius nobis exquisitissimas picturas tradidit, sive nos per læta Piceni vel Campaniæ rura deducit, sive Romæ Romanos domi sedentes aut in Foro aut in vicis aut in margine fluminis cujusdam deambulantes describit. Hi

(1) Cf. V. de Laprade, *Le sentiment de la nature avant le christianisme*, livre II, « Du paysage chez les poètes latins. »

prope navem jam paratam in eo sunt ut portum relinquant :

Jamque ratem terris divisit fune soluto
Navita et angustum dejecit in æquora pontem.
Sævus et e puppi longo clamore magister
Dissipat amplexus.

(III, II, 54.)

Viden' hanc casulam, « culmenque multo lumine sordidum » (*S.* IV, v, 14)? Vesper adest, revertentemque agricolam, mensa modicis inemptisque dapibus onerata, uxor in limine exspectat :

Appula conjux
Agricolæ parci, vel sole infecta Sabina
Quæ videt emeriti jam prospectantibus astris
Tempus adesse viri, propere mensasque torosque
Instruit, exspectatque sonum redeuntis aratri.

(*S.* V, I, 122.)

Quam poetice ii versus tempus illud diei indicant, ubi vates alter ille sub noctem exaudiebat

Les grands chars gémissants qui reviennent le soir.

Quod si Romam ingrediamur, ecce occurrit nuptialis quædam pompa, refertis densa turba viis, dum Statius notulas tabulis suis addit :

Omnis plebeio teritur prætexta tumultu
Hinc, eques hinc ; juvenumque arto stola mixta laborat.

(I, II, 234.)

Cui turbæ alia in parte respondet concursus ille prope circum, dum Romani Barbarique undique conveniunt, qui gratuita sparsione fruantur ; clamores omnis generis mercatores fundunt :

Jam noctis propioribus sub umbris
Dives sparsio quos agit tumultus !

Huc intrant faciles emi puellæ,
Hic agnoscitur omne, quod theatris
Aut forma placet aut probatur arte.
Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes,
Illo cymbala tinnulæque Gades;
Illic agmina confremunt Syrorum,
Hic plebs scenica, quique comminutis
Permutant vitreis gregale sulphur.

Quam inter plebem quot varias hominum species describendas plenis tabulis Statius notabat, obesos judices, delicatos comptosque adolescentes, « faciles emi puellas », circulatores, latrones, pediculosos mendicos ebriosve servos! Quæ omnia, quamvis humillima sint, depingere Statium juvat. Dum Amores decisos Earini capillos colligunt, nonne dicas nos in vico quodam urbis, apud tonsorem clientis mento candidam mappam pendentem, adstare :

Expediuntque comas et serica pectore ponunt
Pallia.

(*S.*, III, IV, 89.)

Nonne Atedii Melioris puerum sartoris cujusvis ratione ac consilio vestit :

Quæ vestes, quæ non gestamina mitis
Festinabat herus! brevibus constringere lænis
Pectora et angusta talari artare lacertos
Enormes non ille sinens, sed semper ad annos
Texta legens modo puniceo velabat amictu,
Nunc herbas imitante sinu, nunc dulce rubenti
Murice.

(*S.*, II, I, 129.)

Non Statio multis verbis opus est, ut picturam quasi adumbret, quippe cum sæpe uno versu ita fit, ut per-

sona vivida stet ac vere depingatur. Nonne, ut exemplo utar, fossor hic oculis clare sese ostendit :

> Pallidus fossor redit, erutoque
> Concolor auro (1). (*S.*, IV, VII, 15.)

Quam docte res perspicere, perspectasque reddere atque imitari scit ! Quod si Appiam viam a Domitiano munitam esse narrat, nonne putes Statium inter operarios fuisse, quum de viarum munitione tanta scientia disserat, ut ipse machinator fuisse videatur (IV, III, 40). Sulcos inchoat, alto egestu penitus cavat terras, omnia componit ne nutent sola, ne maligna sedes det pressis saxis dubium cubile : eum in viis muniendis præcellere dicas.

Communibus plebeiisque vocibus uti non dedignatus, quo strictius sententiam suam definiret, singulas res animadvertit, dum imperatoria sparsio in plebem pluebat, « molles caseolos lucunculosque, et massis amerina non perustis, et mustaceum, et latente palma prægnantes caryotides. » (*S.* I, VI, 17.)

Dum ad cænam quamdam accumbit, quamvis frugalitatem simulet, dapes tamen et numerat et amat, nec ignorat quid intersit inter Etruriæ et Umbriæ apros,

> Quid Phasidis ales
> Distet ab hiberna Rhodopes grue, quis magis anser
> Exta ferat, cur Tuscus aper generosior Umbro.
> (*S.*, IV, VI, 8 *sq.*)

Quam eum juvat, e culina excerptas voces longo agmine, sicut lucanicarum series, Rabelasii nostri illius more, extendere ! Accepto inter Saturnales Plotii Grypi libello, qui risus ! quot res, quot sordes percenset, quas accepisse

(1) Et Silius : « Effosso concolor auro. » (*Punic.*, I, 233). Incertum est, inter Silium Statiumque, uter alterum imitatus sit.

maluit! Usque adeone defuerunt scissis pillea suta de lacernis, vel mantelia, luridæve mappæ, aut prunorum globus atque cottanorum? Non ellychnia sicca? Non bulborum tunicæ? Non lardum breve, debilisve perna? Non sal oxyporumve, caseusve, cæteraque multa ejusdem farinæ? Quibus jocis Statius facultatem illam adhibebat, qua res omnes, hominumque habitus, ac denique omnia aut pulchritudine aut novitate aut humilitate conspicua notare et versibus imitari assueverat.

Cum vitam degeret inter tot pictarum tabularum signorumque peritos studiososque patronos, necesse fiebat Statium ingenuarum liberaliumque artium studio indulgere, ne amicis ingratus esset. Quæ saltem et ipsum delectare videntur. Quoties enim locus ei datus est eximia rarissimaque artis prodigia aut verecunde digitis tractandi, aut oculis mulcendi! In amplissima ditissimaque illa urbe, quas et quam pulcherrimas res mirari ac describere licebat perlustranti tot ædes eximia arte pretiosissimisque divitiis ornatas; in quibus struendis, teste Seneca (1), pauper sibi ac sordidus videbatur, si quis alexandrina marmora Numidicis crustis distincta parce funderet; nisi parietes magnis et pretiosis orbibus refulgerent, nisi operosa et in picturæ modum variata circumlitio undique prætexeretur; nisi camera vitro absconderetur; nisi thasius lapis triclinia circumdaret!

Quis furor iis temporibus sæviit, aurum æraque in parietibus profuse largiendi, cum interraso marmore vermiculatisque ad effigies rerum et animalium crustis, vel lapidem pingere cœpissent (2)! Hæc inter pinacothecas veteribus tabulis consuebant, ut ait Plinius; e vitro pavimenta, ex ophite columnas Arabico onyche aut alabastrite

(1) *Epist.*, LXXXVI.
(2) C. PLIN., *Hist. nat.*, XXXV, I.

aut attalicis vestibus aut inauratis lamellis augebant; marmoreas in omni genere ædes exstruebant, ita ut, Papirio Fabiano auctore, credere dignum esset « marmora in lapicidinis crescere, assidueque montium ulcera sponte compleri ».

Romam relinquentem splendidæ villæ accipiebant, sive in viridanti lacus cujusdam ripa, sive in declivi montium dorso sub nemorum fronde, sive ante litus maris aut frigidos fontium latices sedem ponebant, sive naturam corrigendam emendabant mutabantque, viis per montes excisis, ædibusque ponto impositis, desiccatis stagnis, silvisque solo adæquatis. Prædia acquirebant, quæ rustica esse desierant, et in quibus plura pavimenta verrenda quam agros arandos cernere erat.

Quæ miracula, si exemplo uti poscimur, in Manlii Vopisci villa splendebant, inter auratas trabes et marmora picturatis venis lucentia, æraque veterum manu cœlata, metallaque tot variis modis viva, et quidquid Myronis dextra lusit, et testas nitidum solum referentes! Visne ingrediamur Pollii Felicis Surrentinas ædes? Quot ac quibus artis exquisitissimæ prodigiis præstringimur!

Percurrimus tot amœnas umbrosa fronde calles, tot rosea xysta, æstuantesque ex argenteis tubis undas et in patentibus alveis micantes. Intremus: quam variæ multæque artis species! Tot veteres ceræque ærisque figuræ, tabulæque quas Apellei colores animaverunt, omniaque quæ Phidiacæ manus rasere, quæ arte Myronis aut Polycleteo cælo vivunt!

Atenim dubitari potest, ingenio an cogitatione ac ratione Romani tot lepidissimas res Romam advehi jusserint. Parum certum fit Romanos sponte sua artis studiosos fuisse, quippe qui censerent divitias potentiamque ostendi, si quis a victis tabulas ac signa exigere, variaque artis miracula

in tabulino suo componere posset, aut si in romanis viis forisque starent marmorea signa, columnæque e capta Græcia transvectæ. Hæc omnia collecta non tam artis studium, quam victoris superbiam declarare videbantur. Rem servare, rationes producere ac computare, regere imperio populos, potius quam liberalibus artibus indulgere Romani didicerant. Quam fastidiose Vergilius :

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus,
Orabunt causas melius, cœlique meatus
Describent radio.

Tot statuas tabulasve imperatores a regionibus submissis referebant, ut appareret et sic quoque, tanta operum universitate acervata et in unum cumulum conjecta, terrarum orbem a Romanis vinci. Operum vero multitudo, ut ait Plinius, oblitteratio quædem erat; plura enim Romani undique spectabant, quam ut ea omnia mirarentur aut animadverterent. Nonne Tacitus (1), indignatus quod plebs inclytos poetas negligere soleret, nos certiores fecit picturas statuasque a Romanis contemni : « (poetam illum) si quis semel vidit, transit, et contentus est, ut si picturam aliquam vel statuam vidisset! » Quanto aliter Græci, quum Plutarchus æquales suos reprehendit, qui tabulas signaque longius curiosiusque, quam ipsorum animum scrutarentur!

Fatendum tamen est nonnullos fuisse qui ex artibus veram sinceramque voluptatem ducebant. Inter quos sane Nonius Vindex annumerandus est, cujus subtilitatem urbanissimumque animum Statius Martialisque laudaverunt. Julii Vindicis illius affinis erat, qui originem e Gallia duxit; ita ut fere Gallicus sit inclitus ille antiquitatis amator, dignus sane posteris suis popularibus, qui

(1) *Dial. Or.*, X.

nunc etiam pulchris rebus subtilissime delectantur : quasi a Vindice oriretur id quod a recentibus vocari liceret : « l'histoire de la curiosité en France. »

Nobis per Campum Martium, Statio comitante, deerrantibus Vindex ipse occurrit, qui humero deprehensos nos ad cœnam vocat. Cujus domum ingressis quæ qualiaque splendent! In atrio, omnis generis plantis ac floribus distincto, marmorea signa columnæque inter frondes lucent, dum aqua ex arcto canali in æratum alveum missa susurrat, velut et nunc eadem mirari datur in festivissimis illis hortis quos Hispani *patios* vocant. Juxta patent varii thalami, tabulinumque ubi ea nitent, quæ veteres artifices lepidissime poliverunt et ad unguem perfecerunt. Mille ibi species æris eborisque vetusti, cerasque mentito corpore locuturas adspicimus, et tute nullaque suspicione miramur, cum Vindex præcipue calleat veteres artificum ductus agnoscere, et signis non inscriptis auctorem reddere.

Hæc omnia Statius vidit, ac vivide descripsit : sed ad hæc describenda oculis magis quam animo eum varios motus percipere apparet. Marmoris enim aerisve splendore ac colore magis quam pulchritudine allicitur. Statua quadam adspecta, statim multa recordatus, multa exempla commemorat, nedum penitus in animo plura sentire videatur.

Ante Domitiani equestrem statuam medio foro ingruentem, nedum ingenti præstantique hujus molis magnitudine nos permoveat, percontatur num trojanus equus minor fuerit. Ingressus Surrentinam Pollii Felicis villam, marmoris colores radiosque virides, croceos, albos rubentesve animadvertit computatque. Ejus oculi colore, sicut alaudæ speculo, trahuntur.

Hic Graiis penitus desecta metallis
Saxa : quod Eoæ respergit vena Syenes,

Synnade quod *mœsta* Phrygiæ fodere secures,
Per Cybeles lugentis agros, ubi marmore *picto*
Candida purpureo distinguitur area gyro.
Hic et Amyclæi cæsum de monte Lycurgi
Quod *viret* et molles imitatur rupibus *herbas*,
Hic Nomadum *lucent flaventia* saxa.
(*S.*, II, II, 85, *sq.*)

Atedii Melioris psittaci caveam aureis argenteisque filis intextam multimodisque coloribus distinctam eburneoque fulgore micantem statim prospicit, tabellisque dum singula inscribit, docemur quæ præcipue animadverterit, albos scilicet cancellos rubentemque testitudinem lamellis concisam, clamoresque quibus nuper domus resonabat.

At tibi quanta domus *rutila* testudine *fulgens*,
Conexusque ebori virgarum *argenteus* ordo,
Argutumque tuo *stridentia* limina cornu.

Adeo coloribus sonisque pellicitur! Quantum marcent hæc ludibria, si modo in mentem ea veniant, quæ de iisdem rebus elatiores gravioresque poetæ senserint, sive Hugo noster avem quamdam in carcere mœrentem in libertatem vindicat et ad liquidum cœlum mittit :

L'oiseau s'est évadé dans les rameaux flottants
Et dans l'immensité splendide du printemps....
Alors dans la lumière et dans la transparence
Regardant cette fuite et cette délivrance
Et le pauvre être ainsi disparu dans le port,
Pensif je me suis dit : Je viens d'être la Mort;

sive alter ille vates (1) passerem e caveola evadentem contemplatur :

Mon âme est comme toi, de sa cage immortelle
Elle s'ennuie, hélas! et souffre et bat de l'aile,

(1) Th. Gautier.

Elle voudrait planer dans l'océan du ciel...
S'enivrer d'infini d'amour et de lumière
Et remonter enfin à la cause première.

Statius vero oculis potius quam animo movetur. Visne subeamus limen splendidissimi illius tabulini, sedeamusque prope mensam ubi lepidissimum illud Herculis sigillum, a Nonio Vindice nuper emptum, nitet. Cum certe Statio neque ingenii subtilitas neque liberalium artium studium desint, Herculem illum sane miratur; eam vero admirationem profert, quæ rhetoricam potius quam sinceram animi delectationem redoleat. Unus tamen locus ex ejus carminibus excerpendus est, quo fit ut dei magnitudo in sigilli brevitate vere sentiatur (IV, VI, 43 *sq*). Cetera vero poematis carmina deorum fabulas hominumve historias, Herculisque vitam, quos dominos sigillum habuerit (1), quæ Alexander, quæ Annibal, quæ Sylla egerint narrat, adeo ut mox Nonii Vindicis signum e nostra mente discedere quasi cogatur. Qui versus Statii memoriæ potius quam judicio honori sunt.

Romanos juvabat cognoscere et memorare eos,qui antea res ab ipsis acquisitas obtinuissent: antecessorum memoria pretium insigne rebus addebat, si qua argilosa lampade Epictetus usus fuisset, aut si quem annulum Berenice (2) digito gessisset, aut si qua argentea pocula Philippus Macedonius (3) tenuisset. Audi Euctum, dum hiantibus convivis vinum in mensa mucidum fit, narrantem (4) quæ pocula in Laomedontea mensa fuerint, quo cratere ferox Rhæcus cum Lapithis prœlia commiserit, quis cyathus Nestoris pollice tritus fuerit, aut quam pateram Dido

(1) Eadem de hoc sigillo Martialis refert (*Epig.*, IX, XLIV et XLV).
(2) JUVEN., VI, 156.
(3) *Ibid.*, XII, 46.
(4) MARTIAL, VIII, 6.

summo tenus ore attigerit; necnon, si libet, cum Martiale (1) lignum istud summa veneratione contemplare, quippe quod, Hercle! de Argonautarum rate restet!

Statius is erat, qui, insigni memoria immensaque eruditione præditus, huic studio imprimis faveret; itaque multa narrare, non multum mirari ac sentire videtur.

(1) VII, 19.

CAPUT II

Quæ varia in carminibus suis recordatus fuerit.

Vidimus quomodo Statius observaverit quæ sub oculis jacentia ejus animum pelliciebant.

Mirum est quantum a se ipso mutatus appareat, cum præterita vel longinqua, nec jam præsentia, attingit.

Si quidem ea, quæ oculis scrutatur, vivide reddit pingitque, contra friget languescitque, dum memoria repetit, quæcunque olim didicerit. Necesse est res adspiciat, ut eas acri et vero sermone exprimat. Quæ temporis aut locorum spatium longe distinet, ea incertis ac dubiis oculis prospicit, quasi nebula quadam involvantur.

Incredibile est, quot rerum Statius meminerit, quippe qui sciat et assidue tractet deorum fabulas, et rerum historias, et terrarum astrorumque descriptionem, et omnia quæ grandiloqua canoraque verba poetis suppeditare solent. Haud aliter pictor quidam omnis generis colores in capsulis præparat, unde tabula ditissimis picturis lucidaque varietate splendidoque nitore fulgeat. Quam magnam singularemque doctrinam Statius a patre recepit, de quo dicit :

Primusque dedisti
Non vulgare loqui.
(*S.*, V, III, 213.)

Pater operam non perdidit, si ad immensam filii eruditionem spectas.

Quam incredibilem memoriam cum in omni scientiæ genere exercuerit, primo nobis animadvertendum est,

deorum fabulas in versibus suis condendis sæpissime adhibitas fuisse.

Quamquam deorum fabulis, Statii quidem temporibus, religio fidesque apud homines non jam erant, attamen poetæ assueverant eximias sententias, similitudines, amplificationes, exempla, digressus inde ducere. Lepide Lehanneur (1) : apud hujus ætatis poetas « non nisi deorum simulacra inanesque species reperias, in quas amplius pugnare pudet, ne imitemur Æneam gladio in volitantes umbras sævire parantem, tenuesque vitas ferro, nisi sibylla admoneat, discussurum. » Quos tamen inanes deos vates raro contempsere, cum ab iis suppeteret unde versus magis numerosi ac diserti fierent. Quin, nonne nunc etiam splendidos colores poetæ nostri carminibus suis inde intexunt ? nonne tersus ille purusque vates (2) antiquo deorum numini inserviebat, ut de rebus novis antiquos versus scriberet ? Nostris quidem temporibus, antiqui dii e carminibus propulsi, deserti incultique in exsilio diu marcere visi sunt : tum quia græcorum romanorumque deorum natura a religionibus nostris plurimum abhorrebat, tum quia poetæ complures (3) antiquis diis ita usi erant, ut legentes aut dormirent, aut riderent. Quos inter nobis referre liceat famosum illum poetam (4) « Pindaro ipso deorum amantiorem », cum talia caneret :

La colline qui vers le pôle
Borne nos fertiles marais
Occupe les enfants d'Éole
A broyer les dons de Cérès.

(1) *De Statio*, p. 121.
(2) A. Chénier.
(3) J.-B. Rousseau vel Delille, ut exemplo utamur.
(4) Lebrun.

Vanves que chérit Galatée
Sait du lait d'Io, d'Amaltée,
Épaissir les flots écumeux,
Et Sèvres d'une molle argile
Compose l'albâtre fragile
Où Moka nous verse ses feux (1).

Nunc vero poetæ nostri prudentiorem callidioremque mythologiæ usum versibus adhibere incipiunt, melius usi poetico illo exquisito illustrique verborum figurarumque genere, cujus lepor etiamnunc superest, quamvis earum sensus jam nullus sit. Ecce iterum Musas invocant, dumque luna trementes silvas luce maligna illustrat, flavam illam Phœben recordantur, in Endymionis ora pronam, Amore ramos diducente :

O Phœbé! le vallon, les bois et la colline
Dorment enveloppés dans ta paleur divine;
A peine au pied des monts flotte un léger brouillard...
Si quelquefois le soir quand ton flambeau s'allume
Ton amant te contemple avant de s'endormir...
Tu n'as pour le baiser que ton rayon timide,
Qui vers lui mollement glisse dans l'air humide
Et sur sa lèvre pâle expire sans témoin (2).

Ne quis nobis crimini imputet, si amœnos illos versus retulerimus, quamvis a Statio nos paululum deflectant : attamen nonne tot poemata istiusmodi (3) ostendunt quam feliciter ac jucunde liceat antiquis diis, vel nostra ætate, ad poetas nostros accedere (4)? Quam opinionem Statii versus confirmant. Etenim in ejus Silvis, sicut in horto

(1) Id est gallice : au nord de Paris, Montmartre et ses moulins à vent ; de l'autre côté Vanves, son beurre et ses fromages, et la porcelaine de Sèvres.
(2) Mme Ackerman, *Endymion*.
(3) La lampe d'Héro, Hébé, etc.
(4) Cf. etiam Bolæum, *A. P.*

quodam marmorea signa, stant omnes Magni Dii, Nymphæ, Naides, Nereides Hamadryadesque, Musarumque Phœbo ducente chorus, Bacchus cum sonora pompa, Fauni Satyrique, Alcides et Hylas, Semele, Lachesis Atroposque, Leda, Thetis, ceterique : unde theogoniam integram ducere tibi licet. Hic mœret Thetis (V, I, 35) ; illic Cressa callida superbum Thesea sollicito filo revocat (II, VI, 24); tum inter Amyclæos fratres « maternis Helene jam digna palestris » reptat (IV, VIII, 28) ; aut Phœbus Pallenos Jovis triumphos laudare inchoat (IV, II, 56) ; aut ingredimur Pergameas Æsculapii domos (III, IV, 25).

Inter libros, quos Statii pater, attenta multa juventute, explicandos evolvebat, in primis Homeri opera fuerunt, quæ magni æstimabat. Quod a filio accepimus, qui patrem defunctum incredibili hac laude prosequebatur :

> Tu par assuetus Homero
> Ferre jugum.....
> Et nunquam passu breviore relinqui.
> (*S.*, V, III, 159.)

Statii versus legentem non fugere potest juventutem assiduam, ejus patre docente, sæpe didicisse

> Quis casus Trojæ, quam tardus Ulixes.

Metio Celere in longinquas terras profecto, mœret Statius amicus, cum amicum non comitatus sit, Phœnicem scilicet imitatus, qui et ad Ilium Achillem secutus est (III, II, 96) ; Lucano defuncto, Statii mentem Achillis mortui memoria subit (II, VII, 96). Sæpe trojanum illum equum laudant : qui tamen quid est, si tantum Domitiani maximum equum ei conferas ! (I, I, 8.) Quod si Penelopen desideres, nonne Statii ipsius fida uxor eam plane refert ?

Viden'ut rusticus Paris, Oebalios visurus amores, trans freta invisas naves ducat? Cujus generis locos plurimos colligere ac quasi aggerere facile queas : istiusmodi opus Germani patienter ac diu suscipiant extendantque per me licet.

Quæ omnia rhetorum more carminibus suis adhibet. Personæ, quas e mythologicis fabulis arcessit, nullo modo viventibus similes sunt. Verba, non personas nobis proponit. Callide utitur canoris vocibus, quæ carminibus concinnitatem addunt : sed omnes illi dii deæque aut heroes nullo modo vivere, nihil agere, nulla sentire videntur.

Nomina tantum, non vultus animosque Statius ab eis mutuatur : flatus quosdam vocis et aeris dicas. Innuneros deos aut viros Statii memoria similitudines quærenti statim suppeditat : haud aliter ex dolio, apertis epistomiis, vinum aut oleum fluunt.

Dum Claudius Etruscus pro defuncto patre se ipsum non periisse deflet, ecce in Statii mentem occurrunt eorum nomina, qui pro suis mortem aut pericula obire non dubitaverunt, tanquam Æneas aut Scipio, Lausus, Alcestes aut Orpheus. Dum Atedio Meliori scribit, plura exempla adoptivorum filiorum refert, quos ipsorum patroni non secus amaverunt, ac parentes natos diligere solent ; in Statii memoria longo agmine procedunt cum Chirone Achilles, Acœtes cum Pallante, cum Perseo Dictys vel Ino cum Baccho.

Verum illi omnes frigido quodam languore quasi exsiccantur. Non deorum Olympum te percurrere credas, sed longas illas Musæorum ædes, ubi veteres Ægyptorum reges, amomis inuncti et vittis infulisque et linteolis involuti intextique, rigidi algentesque, muro acclines, in silentio et in pulvere dormiunt.

Quis Domitiani equum maximum in foro statuit?

> Siculis an conformata caminis
> Effigies lassum Steropem Brontemque reliquit?
> (*S.*, I, I, 3.)

Qua eadem figura utitur, quoties malleis incudes tunduntur, præcipue dum Pollius Felix templum in Herculis Sorrentini honorem, frementibus ligone saxis, ædificat :

> Non tam grande sonat motis incudibus Ætne
> Quum Brontes Steropesque ferit.
> (*S.*, III, I, 131.)

Nil amplius de Bronta vel de Sterope addit, eosque jam mittit. Non ejus in mentem venit nobis breviter proponere, quantum et quale spectaculum illud fuerit, dum candentibus igne et calore fornacibus, inter montis æstuantis tenebras, crepitantibus ac micantibus e ferro scintillis, sonantibus sub malleis incudibus, ingentes illi fabri, cincti subligaculo hircino, facie fumo et pulvere nigra, inter flammas fulminaque graves ferri moles tractabant.

Quis vultus, qui mores, quis habitus Jovi aut Junoni, aut Herculi fuerunt? Dum Hebe, excluso Phryge (1), nectaris liquorem porrigit (III, I, 27), poeta non dignatus est paucis verbis lepidam illam puellam roseo colore tenerisque membris decoram pingere.

Ingemit Cybele (V, I, 223), nec facile recognoscas metuendam illam Dindymi reginam, cujus templum densis ramis opacum cymbalis tympanisque mugiebat; resonat Orphei chelys silvis intellecta ferisque (II, I, 11), nec ullo verbo nobis redivivus fit vetus ille necnon formosus Eurydices conjux; apparet inter Avernales scopulos Cumaea

(1) Sæpius traditur Heben priorem fuisse.

Sibylla (V, III, 175), sed nullo modo nobis refert vatem illam a Marone tam vivide expressam.

Longe abest, ut a poeta poscamus promissas longasque explanationes infinitosque sermones de unaquaque re ab ipso tractata; loquacem enim et nimis verbosum eum vituperaremus, qui omnia nimia tristique abundantia explicaret, sicut fluvius quidam qui vicinas messes submergit.

Liquet tamen, poetæ eam facultatem inesse, quæ possit vel paucissimis verbis personam quamdam quasi creare ac vivam facere: haud aliter pictor, paucissimis rapidisque quibusdam lineamentis, ita tabellam ornat, ut extemplo arborem cujusvis generis aut vultum quemdam vivide expressum recognoscere queas.

Haud ita Statius. Deos tantummodo nomine vocat, tantaque brevitate (1) utitur, ut sæpe inhians hæreas dubitesque, quemnam deum vel quam fabulam intelligere debeas.

Quum procedit Sibylla « quamvis decepto vates non inrita Phœbo, » utile est te non ignorare, a Sibylla Phœbum amantem elusum fuisse, postquam jussisset sibi tot annos concedi, quot arenæ micas in manu sua capere potuisset; nec supervacuum est te jam scire, quomodo Cebrenis, serpentis morsu saucia, Esacum ardentem effugerit (I, v, 20-22), et quomodo Virbius incolumis vixerit, juvantibus Diana Æsculapioque, prope « conscium Hippolyti lacum ». (III, I, 57.)

Adeo res breviter atque obscure dicit, — mirum! — quum divinas fabulas attingit, loquax ille abundansque vates, qui de cunctis rebus tam prolixe dicere solet! Quæ omnia tanta solertia prudentiaque ipse novit, ut ceteros non minus doctos esse persuasum haberet : ideo omnia

(1) Vide infra pauca de mythologicis allegoriis, in quibus dii deæque diutius sub oculis nostris remanent.

tantummodo legit, nedum ea vel enucleare vel saltem pingere velit.

Non modo deos heroasque, verum etiam humanarum rerum historias Statius in poeticas figuras vertit. Nonne enim in historicis Annalibus nescio quis lepor inhæret, qui cunctis rebus præteritis inest?

Statius vero ex historiis nihil, nisi nomina vana duxit, neque ejus animum memoria rerum præteritarum percellit. Dum Alexander « Babylona magna hasta frangit » (IV, VI, 66), liquet poetam tanto nomine minime moveri. Numæ mitis nympha sacra ritusque colendos sub antro dictat, neque apparet quid jucundi aut poetici in tam lepida illa fabula inesse videatur; Scipionem, Sullam nomine refert (V. III, 290), negligitque vel uno verbo tantos viros in carminibus suis quasi redivivos facere. Imo, quum de Hannibale illo res agitur, de tanto viro nulla profert, ut nobis grandis gravisque illa imago ante oculos appareat; Trasimenum, Alpes, Cannensesque animas siccis oculis nominat, quasi utiles canorasque voces tantummodo usurpet, seque ipsum Romanum esse obliviscatur! Tacet, ubi dixit :

> Atrox dextra perjuroque ense superbus
> Hannibal!

O ubi terribilis illa vividaque effigies, quæ e Juvenalis versibus expromitur :

> O qualis facies et quali digna tabella
> Quum getula ducem portaret bellua luscum.

Attamen, dum Philipporum planitiem percurrit, ubi Romanorum ossa albescunt; dum ante oculos miserrimi Pompeii tota vita surgit (II, VII, 70), paulo flebiliore

sono canit, non tamen ut assuetam brevitatem omittere velit; sed notandum est quomodo retulerit

> Albos ossibus Italis Philippos,

et

> Libertate gravem pia Catonem
> Et Pelusiaci scelus Canopi.

Quibus versibus multa grandiora vehementioraque sunt; attamen indignum esset ea negligere, quæ animi motus quosdam demonstrant, cum præsertim cætera frigeant.

Sic e rerum romanarum historiis Statius plurima mutuari solet, nomina, viros, res bene aut graviter gestas. Omnia enim percenset ac colligit, a Romuli regno usque ad Neronem, « pallidum visa matris lampade Neronem », imo usque ad Domitianum : de quo vero, poetarum licentia amplius usus, multa fingit, quo humilem fœdamque ejus historiam splendidiore ornatu decoret. Ejus enim poetici triumphi, humana mansuetaque mens, virtus, fortitudo, excelsusque animus majorem imaginandi copiam quam veritatem ostendunt.

Non minus e terrarum descriptione poetæ res verbaque ducere solent. Nonne enim longinquorum aut male cognitorum locorum nomina incertos quosdam exquisitosque sensus eliciunt, dum canoram concinnitatem ac nescio quid vagi carminibus addunt? Haud aliter cujusvis ætatis lyrici poetæ censuerunt, quamvis olim eos Bolæus noster irriserit :

> Irai-je dans une ode en style de Malherbe
> Troubler dans ses roseaux le Danube superbe,
> Délivrer de Sion le peuple gémissant,
> Faire trembler Memphis ou pâlir le croissant,
> Et, passant du Jourdain les ondes alarmées,
> Cueillir mal à propos les palmes idumées?

Apud antiquos præcipue, cum terrarum orbem parum explorавissent, cum fere omnes longinquæ regiones non minus quam « fabulosus Hydaspes » fabulosæ essent, aliquid poetici e geographicis disciplinis exoriebatur. Jamjam Græci, vel in scenicis fabulis (1), — quamvis ab hoc genere terrarum descriptio omnino abhorrere videatur, — ex eo fonte plura abunde hauriebant, multo prius quam Alexandrini suorum carminum quasi tenorem exinde duxissent. Quid igitur mirum, si idem hoc studium transierit et ad Latinos, scilicet ad bellicosam illam gentem, quæ sua arma in unamquamque terrarum orbis partem protulit?

Quod minime fugit Horatii carmina evolventem. Nonne enim videtur unicuique rei quasi patriam tribuere, atque regiones remotas aut pene ignotas urbes docte enumerare, quarum vel nomina mentem nostram oblectant. Tum poeta locum quemdam refert, cujus nomini quasi hæret memoria rerum quas ipse vidit aut gessit, dum Græciam Asiamve invisebat; tum amœnam quamdam sedem, Tarentum, Baïos, Prænestem, Tibur vel Sabinos montes recordatur; tum natale solum, Apuliam, animo dulcedine capto repetit; tum immani illa imperii Romani latitudine superbit, cujus caput Romæ erat, fines vero cum terrarum limitibus fere miscebantur.

Sicut Horatius, Statius geographicis verbis copiose utitur, quamvis in eis proferendis minorem varietatem adhibeat.

Verba colligit enumeratque, potius quam longinquas regiones mente invisere ac nobis monstrare videatur. Rhetoris, non pictoris cujusdam more terrarum orbem percurrit. Nominum recensionen et nomenclaturam facit, nedum locos ipsos describat. Ratio, qua varias regiones

(1) Cf. PATIN, *Tragiq. grecs*, I, III et IV; et *Poésie latine*, I, XIII.

percenset, eadem fere semper esse videtur. Crispino Romam linquente, locos dicit, quos viatoribus licet invisere. Quo ibis?

> Arctoosne amnes et Rheni fracta natabis
> Flumina, an æstiferis Libyæ sudabis in arvis?
> An juga Pannoniæ.... et cætera?

Quam seriem longius producit, quippe qui terrarum diversas regiones mirum in modum noverit. Uxorem suam admonet, mulieribus ea lege vivendum esse, ut conjugem suum sequi debeant, quoquo eat, « et ad arctos gelidas, et super vada caligantia Thules, et ad caput haud penetrabile Nili », et cætera. Ubi occasio sese dat, ecce vates nomina profundit, quibus sua memoria referta distenditur : undam dicas, in receptaculo quodam compressam, quæ scaturit bullitque, statim ut canalis aperitur. Eodem igitur modo, priusquam Metius Celer in Syriam proficiscitur, Statius jamjam regiones recenset, quas ille percurret, ac de quibus, Romam reversus, cum poeta suo colloquetur : rapidum scilicet Euphraten, et regia Bactra, sacrasque antiquæ Babylonis opes, et permulta alia loca, quorum nomina mente tenet.

Hoc unum de tot variis terris memoria servavisse videtur : scit quæ quisque locus ferat producatque, quas arbores hi colant, quas messes illi cædant. Cum hæc omnia diversa sint, cumque

> Non terræ ferre omnes omnia possint,

inde fit ut Statius nobis fere omnia transmiserit, quæ discere possimus de « commerciali geographia » (ut recenti verbo utar) apud antiquos. Noscimus enim quibus atque unde excerptis amomis Priscillæ bustum unctum imbutumque fuerit, in quo stipantur ver arabum, floresque

Sabaei, Indorumque arsura seges, Palæstini Hebraeique liquores, Coryciæque comæ, Cinyreaque germina. Nec minus docemur quæ, inter imperatoriam sparsionem, plebe manus tendente, velut imber faustus, pluerint,

Quicquid nobile ponticis nucetis
Fecundis cadit aut jugis Idumes;
Quod ramis pia germinat Damascos,
Et quod percoquit æstuosa Caunos,
Largis gratuitum cadit rapinis (1).
(*S.*, I, vi, 12.)

Restat tamen ut moveamur singulari longinquarum illarum terrarum specie. Nonne enim poetam interrogare velimus : qui qualesque sunt tot illi loci, precor? Quæ facies tot populis? quæ vestimenta ferunt? quibus armis, quibus domiciliis, qua supellectile, qua cœli specie, quibus moribus utuntur? Num inter desertas arenosasque regiones nonnunquam cernere licet Arabas, pernicissimis equis crocea aurataque veste instratis insidentes, pulveremque turbantes? num candent late sub calidissimis solis radiis camelina Africorum tentoria? num palmas rodunt tigres prope fontis rivos ubi rubent siliquæ citrique? Quæ omnia si cognoscere cupis, Statium frustra interroges. Idem, qui tam curiose, tam prolixe ea descripsit, quæ Romæ vidit, languescit et in incerto manet, ubi ea aggreditur, quæ ante oculos non jacent.

Quas inter regiones unam præcipue eximia arte festivaque amœnitate depingit, scilicet urbem Neapolin, quam splendidis laudibus ornavit. Quid enim Neapoli pulchrius?

Nec tibi sulphureis Lucrinæ Naides antris
Nec Pompeiani placeant magis otia Sarni.
(*S.*, I, ii, 264.)

(1) Adde etiam *Silvam* IV, ix, hendecasyllabos jocosos ad Plotium Grypum.

Aspice lucidam illam Vesuvii flammas fumumque vomentis effigiem :

Fractas Vesvius egerit iras
Æmula Trinacriis volvens incendia flammis.
(*S.*, IV, IV, 79.)

Cum vero patriæ suæ solum describit, quamvis deorum historias nimis commemoret, quamvis parvi intersit, Neapolin a fugitivis Trojanis, Capy duce et columba locum indicente, conditam fuisse, nonne tamen venusti atque arguti sunt ejus versus, quibus suam uxorem in Campaniam ducendam alloquitur :

Has ego te sedes, nam nec mihi barbara Thrace
Nec Libye natale solum, transferre laboro;
Quas et mollis hiems et frigida temperat æstas,
Quas imbelle fretum torpentibus alluit undis.
(*S.*, III, v, 81, *sq.*)

Astrorum scientiam Musarum choro antiqui miscebant. Quem honorem haud injuste eam obtinere fatendum est, cum ex astrorum nomine aut historiis multum leporem carmina sæpius accipiant. Nonne in animum injiciunt nescio quem obscurum occultumque rerum ignotarum terrorem? Apud antiquos accedebat ut religione percuterentur : ille deos venerabatur, qui stellarum multitudinem cœlique immanitatem admirabatur. Quid vero mirum si religio quædam astronomiæ misceatur, cum nihil melius animum ad summos piosque sensus evehat, quam immensum illud stellantis cœli spectaculum, cum etiamnunc, quamvis Jupiter, Saturnus, Venus et Mars nihil sint nisi nomina et inania doctorum signa, poetas tamen dulcibus elatisque motibus afficere soleant :

Oh! regardez le ciel! Cent nuages mouvants
Amoncelés là-haut sous le souffle des vents

Groupent leurs formes inconnues;
Sous leurs flots par moments flamboie un pâle éclair,
Comme si tout à coup quelque géant de l'air
Tirait son glaive dans les nues.

(V. HUGO, *Soleils couchants.*)

Omnia quæ in cœlo aut spirant aut moventur aut splendent, non tam eruditorum quam poetarum animum sollicitant :

L'arc-en-ciel! l'arc-en-ciel! Regarde!
Comme il s'arrondit pur dans l'air!
Quel trésor le Dieu bon nous garde
Après le tonnerre et l'éclair!
Que de fois, sphères éternelles,
Mon âme a demandé des ailes
Implorant quelque Ithuriel,
Hélas! pour savoir à quel monde
Mène cette courbe profonde,
Arche immense d'un pont du ciel!

(Ibid. *Pluie d'été.*)

Quas astronomiæ illecebras apud antiquos augebant tot lepidæ jucundæque deorum dearumque fabulæ. Etenim, stellis per cœlum tacite labentibus, innumeram notarum figurarum multitudinem prospicere, et modo dulcia quædam amantium colloquia, modo gementium suspiria audire sibi videbantur; amico vultu aut submisso lumine flavam Phæben aut Venerem sub terris evanescentes salutabant.

Quod astrorum lenocinium Statius nec dedignatus nec oblitus est, et cum epica poemata condebat, in quibus Græci eum hanc artem docuerant, et cum vel humiliore sermone res expromebat, quas sine astrorum auxilio proferre licebat. Silvæ sub corusca stellarum luce splendent : desiderandum tamen est, vatis animum non cœli

spectaculo permotum fuisse. Cum sidera spectat canitque, veteres quidem inanesque fabulas repetit ; itaque, tum mucrone sidera terret Orion (I, I, 45) ; tum Sirius latrat (I, III, 5), tum terrent nubila Plias Oleniumque pecus ; tum collucent Gnosiacæ faces coronæ (III, II, 77 ; I, III, 96) ; necnon, dum istiusmodi nominibus utitur, canoros splendidosque versus nonnunquam modulatur. Etenim quam lepide vates astra ad se vocat, quo melius nobis tres Menecratis natos ostendat :

Qualis cœli facies ubi nocte serena
Admovere jubar mediæ duo sidera lunæ.

Jam in medio cœlo, terris exhaustis exustisque, sol ardens stat : mirum sane splendidumque argumentum poetis cujusvis ætatis ! Meministi enim recentiores illos de eadem re versus :

Midi, roi des étés, épandu sur la plaine
Tombe en nappe d'argent des hauteurs du ciel bleu,
Tout se tait. L'air flamboie et brûle sans haleine,
La terre est assoupie en sa robe de feu...

(Leconte de Lisle.)

Quod spectaculum Statius vividis plenisque versibus nobis monstrat :

Tempus erat cœli cum torrentissimus axis
Incumbit terris ictusque Hyperione multo
Acer anhelantes incendit Sirius agros.

(*S.*, III, I, 53.)

Aspice etiam purpureum illum solis occasum in hispanico litore :

Pronos hyperionis meatus
Summis oceani vides in undis
Stridoremque rotæ cadentis audis.

(*S.*, II, VII, 25.)

Ita cæli varias facies dieique varia tempora, stellarum lapsum spatiique meatus, denique quidquid ex astrorum scientia accipimus, Statius in amœnas translationes et in subtiles argutasque figuras lepidissime vertit : felix si sentire atque exprimere valuisset, quid magni terribilisque in hoc æterno ingentique spectaculo inesse videatur, dum supra nos micant solis radii, vel fulget obscurum cœlum, stellis ardentibus aptum !

Non solum veterum historiarum Statius meminit, sed quæ ceteri antea scripserint non obliviscitur.

Notum est, quam assidue Statii æquales veterum opera imitati sint. Omnes enim in verba Vergilii, Nasonis, Catullive jurant; retro intueri videntur, dum scribunt. Nam, si Plinio Juniori credere dignum est, Erucius « facit versus quales Catullus aut Calvus...; inserit sane, sed data opera, mollibus lenibusque duriusculos quosdam, et hoc, quasi Catullus aut Calvus » (*Epist.*, I, 16); nec minus Sentius Augurinus, dum sua « poematia », sicut mos erat, profuse condebat, suorum carminum auctores laudibus exsequebatur :

> Canto carmina versibus minutis,
> His, olim quibus et meus Catullus
> Et Calvus veteresque.
>
> (Plin. Jun., *Ep.*, IV, 27.)

Ita nempe, si saltem « meus » dici poeta ille poterat, quem sexcenti alii favore atque imitatione sua fovebant. Quid de Passieno Paulo, dum elegos ita scribit, ut eum Propertii municipem esse liqueat (*Ibid.*, VI, 15) ; nam « in literis veteres æmulatur, exprimit, reddit, Propertium in primis » ; necnon, quando ad lyrica deflectit, « Horatium effingit » (*Ibid.*, IX, 22). Quos veteres Martialis ipse accu-

rate meminit; eorum ad exemplum libellos lascivis jocis madidos Silio mittit:

Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni.
(*Epig.*, IV, 14.)

Idem ille Silius quanta cura, quanta religione Vergilii memoriam coluit, Plinio teste! « Vergilii ante omnes natalem religiosius quam suum celebrabat; Neapoli maxime ubi monumentum ejus adire ut templum solebat ». (*Ep.*, III, 7.)

Quid igitur mirum, si Statius, ætatis suæ consuetudinem secutus, non immemor religionis a municipibus suis Neapolitanis Vergilii nomini servatæ, Vergilii opera ante oculos semper habuerit; quod et ipse plane asseruit :

Maroneique sedens in margine templi
Sumo animum et magni tumulis adcanto magistri (1).

Incredibile est quanta facilitate, quanta varietate ac fide tot a præteritis scriptoribus sumpta verba carminave referat : adeo ut in ejus Silvis disjecta complurium poetarum membra agnoscas.

Vergilii, Flacci, Nasonis ceterorumque opera assidue versavit memoriaque tenuit. Nobis quidem non in animo est producere seriem locorum a Statio e variis poetis deductorum : quod fastidiosum opus tot alii jam aggressi sunt (2), ut nunc exquirere liceat non quæ imitatus sit, sed quomodo.

(1) *Silv.*, IV, IV, 55 ; cf. etiam ibid., V, III, 63 et notos *Thebaidos* versus, XII, 816.

(2) Cf. : ANTONIUS ZINGERLAEUS in eo libro qui inscribitur : *Zu späteren lateinischen Dichtern*, Innsbruck, 1873, de Vergilii, Horatii, Ovidii aliorumque imitatoribus, et de Statio uberrime disputavit. LEHANNEUR, *de Publii Papinii Statii vita et operibus*, Rupellæ, 1878; quamvis declaret : « non est nostri propositi in his nugis operam insumere », attamen quæ loca Statius

Sæpenumero unum verbum nova quadam specie conspicuum notat posteriusque usurpandum tenet. Cujus generis voces ex Ovidio præcipue ducit; ut exemplis utar, hæc tabulis inscripsit rettulitque : salutifer (*S.*, I, IV, 98; III, IV, 25); refugus (IV, VII, 50); præsignis (IV, VIII, 12; IV, IV, 9); inamœnus (II, II, 33); nemoralis (I, III, 76); quæ verba nova primum in Ovidii operibus locum habuisse videntur.

Nonnunquam refert callidam quamdam verborum juncturam, sive eam plane et exacte imitatur, sive mutatione aliqua dicendi genus novum reddit.

Sæpe enim aliena verba, nulla commutata parte, usurpat. Vergilii vestigia non solum « adoranda » verum etiam accurate sequenda censet. Equum enim maximum trahunt « pueri innuptæque puellæ » (*S.*, I, I, 12); ut in Æneide vulnificus chalybs, sic in Silvis indomitus silex « curva fornace liquescit » (*Silv.*, III, I, 122; *Æn.*, VIII, 446); necnon Ovidium pariter sequitur. Cum enim, Metio Celere in longinquas terras proficiscente, Statium terrent « nubila Pleias Oleniumque pecus », Leandri meminimus, apud Nasonem, hieme ingruente frementis, dum imminent « Plias, Arctophylax, Oleniumque pecus » (*Silv.*, III, II, 77; *Heroid.*, XVIII, 188). Sicut Ascanius odit « infaustæ regnum dotale novercæ » (*Silv.*, V, III, 40),

mutuatus sit, non sine permultis typographicis erroribus, numerat, continuoque tenore deducit, pag. 216-267; LUEHR, *de P. Papinio Statio in* Silvis *priorum poetarum romanorum imitatore*, Brunsbergæ, 1880; BERNHARDUS DEIPSER, *de P. Statio, Vergilii et Ovidii imitatore*, Argentorati, 1881; VOLDEMARUS RIBBECK, in appendice adjecta editioni *Carminum Vergilianorum ab Ottone Ribbeck*, Lips., 1860, curatæ, magnam copiam locorum attulit, quos ex Vergilii imitatoribus, itaque ex Statio, petivit; MAXIMILIANUS KULLA, in suis *Quæstionibus Statianis*, Vratislaviæ, 1881, voluit ea augere, quæ jam Luehrius de Statio imitatore disseruerat. Statii igitur imitationem illustravit in altera parte libelli sui (p. 43-66). In prima parte contra poetas percurrit, qui Statium secuti et imitati sunt.

ita Jaso obliviscitur « regnum dotale Creusæ » (*Heroid.*, XII, 53); utque, teste Nasone,

> Præterit ipse suos animo Germanicus annos
> (*Pontic.*, II, II, 73.)

ita Victorii Marcelli

> Juvenis facundia præterit annos.
> (*S.*, IV, IV, 45.)

Sæpius etiam paululum versa carminis specie ac detorto ordine aliena verba imitatur. Tum una vox e suo loco movetur : Rutulos ornabat « decus egregium formæ » (*Æn.*, VII, 473); sic Venus adspecta Violentilla, « formæ egregium mirata decus » est (*S.*, I, II, 107); necnon ut Tityrus « parvis componere magna » solebat, sic Statius, perlustrato Claudii Etrusci balneo : « fas sit componere magnis Parva ».

Rationes quibus utitur, quo minus alios sequi videatur, non hæ sunt quæ furta occulte tegere possint, sive quod verbum in aliud vertitur, sive voces quædam accedunt aut supprimuntur. Cum enim Statius scribit :

> Tectum augustum, ingens, non centum insigne columnis,
> (*S.*, IV, II, 18.)

haud arduum fit Vergilianum illud recognoscere :

> Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis.
> (*Æn.*, VII, 170.)

E pluribus verbis sæpe unum tantummodo servat, quod præcipuum est, ceteraque, quasi columen quoddam, fulcire videtur. Etenim in *Æneide*, Juno fertur Carthaginem « posthabita coluisse Samo »; iisdem verbis Victorio Marcello maximum studium est Cæsarem « posthabito coluisse

'onante ». Sicut amicus Aulon « minimum Falernis invilet uvis », si Flacco credere dignum est (*Od.* II, VI, 19), ta in Pollii Felicis villa « prælis non invidet uva Falerıis » (*S.*, II, II, 5). Apud Flaccum, quidam horreo proprio ondit « quidquid de Libycis verritur areis » ; sic in *Silis* renidet « quidquid messibus Afris verritur ». Quamvis n omnibus his locis verborum species paulum deformata it, attamen interdum permulta reperire licet, quæ novinus : quæ, velut veteres amicos, salutamus. Cum Flavii uer delicatus tantum nitet « quantum præcedit clara ninores luna faces » (*S.*, II, VI, 36), nonne statim in nentem venit Julium illud sidus, quod micat « velut inter gnes luna minores » ?

Fit etiam ut, neglecto verborum tenore, universam amen periodi cujusdam speciem ac numeros modosque mitetur, ita ut, perlectis statianis carminibus, alterum armen nobis in mente simul resonet. Dum Statius ıuream suam mediocritatem laudat, canitque :

> Non mille balant lanigeri greges
> Nec *vacca* dulci *mugit* adultero,

ıonne Flaccum recordaris :

> Te greges centum siculæque circum
> Mugiunt vaccæ ?

Permulti sunt ejusmodi loci, quos amplius deducere facile ɛst.

Quoties etiam Statius, quamvis nec verba nec versus ıec modos numerosve imitetur, in præteritorum tamen criptorum memoriam nos ducit, quorum argumenta, res, ɛententiasque refert ! Dum Pholoe, a deo fugata qui « jam ɔrædæ levis imminet », prope fluminis ripam in platanum vertitur, nonne dicas Nasonis nympham illam esse (*Me-*

tam., I, VIII) dum prosecutum deum vitare nititur, qui « tergo fugaci imminet », pariterque in arborem transformatur? Quamvis exquisitius forsitan esset, cum Lesbiæ passere Melioris psittacum aut cum Berenices coma Flavii Earini capillos (1), aut jocos de accepto Plotii Grypi libello cum facetiis de Calvi volumine conferre, nonne tamen satis liquet Statium a Catulli carminibus legendis non omnino abstinuisse? Æneum Domitiani equestris signum, contempta hieme, vivet stabitque :

Non hoc imbriferas hiemes opus, aut Jovis ignem
Tergeminum, Aeolii non agmina carceris horret,
Annorumve moras : stabit dum terra polusque.
(*S.*, I, I, 91.)

Quam æternitatis imaginem quoties antea pœtæ effinxerant! Jam Flaccus de suis carminibus immanem spem conceperat.

Exegi monumentum ære perennius...
Quod non imber edax, non aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series et fuga temporum;
(*Od.*, III, 30.)

jam Ovidius sub finem *Metamorphoseon* superba voce incipiebat :

Jamque opus exegi quod nec Jovis ira nec ignes
Nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas.
(*Metam.*, XV, 871.)

Quam seriem longius protendere desinimus, cum jam tot ejusmodi loci ab antecessoribus nostris notati sint. Nobis satis sit breviter demonstravisse, quam multa per-

(1) De Earino vide etiam MARTIALEM, *Epigr.*, IX, XII, XIII, XIV, ac de ejus *Coma*, ibid., XVII.

lecta Statius recordatus in versibus suis condendis adhiberet, dum alienas voces plane reddebat, dumque modorum quasi musicam aut rerum absconditum sensum imitabatur, nunquam ab ipsius exemplaribus adeo dissimilis, ut furta laterent : immo in ejus orationis tenore apparent nitentque, — sicut gemmæ in auratis filis splendidæ vestis intextæ, — obtestata quanta memoria eruditissimus Silvarum cultor præditus fuerit.

CAPUT III

Quæ finxerit inveneritque.

Si quidem Statius præterita vel longinqua describere nescit, valet tamen multa insigni facilitate ac varietate fingere, quæ rhetoricæ artis miram prudentiam indicant. Non rerum, vel regionum externarum peculiarem speciem depingere, sed varias carminum condendorum et rerum proferendarum, componendorumque verborum rationes doctrinasque invenire callet. Sicut rhetor quidam aut grammaticus, non sicut poeta suam imaginandi vim exercet.

Quam callide adhibet in disponendo poematis cujusque tenore : tum interrogationibus et responsis utitur; tum falsa quædam sicut vera ponit; tum narrationes quasdam, vel allegoriam, vel translationes usurpat; tum personæ e terris surgunt, quæ orationes habent vel futura prædicunt. Mirum in modum calluit in ea arte quam rhetoricam vocant. Pictorem quemdam dicas, qui potius digitis quam mente præcellat.

Inquirenti quomodo Silvæ cujusvis unius variæ partes inter se disponantur, facile apparet omnes fere eadem ratione compositas fuisse. Priusquam carmen quoddam condendum incipiat, Horatii meminisse videtur, et, nugis omissis nos rapit in medias res. Non ludit ante fores.

Materiam suam sic aggreditur, ut sæpe parum simplex esse videatur. Quamprimum nos ferit, ut moniti aurem præbeamus. Raro enim rem plane ac simpliciter exponit.

Si quidem Pollii Felicis villam (II, 2), vel Crispini virtutes (V, 2) aperte neque ulla arte nobis a principio poematis repræsentat, cætera exordia magis exquisita fucosaque sunt. Quo citius attentos nos reddat, inopinis inusitatisque modis mentem quasi impellit.

Sœpenumero, ut exemplis utamur, dum rem aggreditur, istiusmodi interrogationibus utitur, quarum hoc proprium est, velut grammatici aiunt, ut responsum nullum petant. Cum de via Domitiana agitur, Statius, aure intenta, ligonibus inter saxa sonantibus, miratus interrogat (IV, III, 1) :

Quis duri silicis gravisque ferri
Immanis sonus æquori propinquum
Saxosæ latus Appiæ replevit?

Stella Violentillam uxorem ducente, dum cantus tibicinesque audiuntur, inquirit vates (I, II, 1) :

Unde sacro Latii sonuerunt carmine montes?
Cui, Pæan, nova plectra moves humeroque comanti
Facundum suspendis ebur?

Quotiescumque Statius de nova quadam re dicturus est, diu secum meditatur, quodnam numen invocaturus sit. Quis deus Atedii Melioris platanum tuebitur? cum non operæ pretium sit Apollinem ipsum arcessere, Naiades tantum ac Fauni veniant.

Quamvis amplissima sit materies balneorum Cl. Etrusci celebrandorum, nonne tamen ambitiosius sit, Phœbum aut Musas accire, cum Naides operi sufficere videantur? Quiescant igitur et rudem accipiant Musæ Phœbusque (I, v, 2).

Necnon cum kalendæ decembres adsunt, Musas dimittit feriatas, ut Saturnum, Jocos et Sales acciat.

De quo interrogandi genere nonnulla dicere oportet, cum

multas inveniendarum ac fingendarum rerum rationes Statio suppeditet, quas inter numerandum est solitum quoddam genus sibimetipsi interroganti pluribus responsis incertis respondendi, e quibus vates optimum quodque denique eligit ac servat. Dum via Appia operariis ac ligonibus fremit, quid dicam hoc esse? Utrum Annibalis agminibus terra resonat? an Neronis jussu fluminis cujusdam alveus effoditur aut montes æquantur?

« Hypotheses » varias pluresque fingere assuetus, pluribus verbis rem unam enuntiat. Glauciæ enim Melioris puero vita defuncto, quis tam ferreum pectus habuit, qui in tam delicatum amicum non misericordia commotus esset, licet sævissimum quemque inter sævos heroas proferas, licet prodeant Procne aut fera Colchis aut torvus Athamas aut Ulixes.

Quid de Violentilla, si ea omnia ad eventum pervenerint, quæ Venus fingit! Felicem Stellam, cum nec Bacchus nec Jupiter nec ceteri Violentillam prius adspexerint! Quam si Phœbe vidisset, erraret Daphne secura; quam si Jupiter novisset, in hanc cecidisset Jupiter auro.

Vidimus quo modo Statius poemata sua ordiri soleat : eodem fere modo ea concludit. Raro enim simpliciter neque ulla arte canere desinit (1). Si quidem Pollii Felicis villam tranquillo animo minimoque animi motu relinquit, si Marcellum amicum placide salutat, attamen sæpius iisdem concitationibus sub finem uti assuevit, quibus inire eum juvabat. Sudat ut Stella Violentillaque eximios natos prosperamque vitam adipiscantur, ut a Vopisco curæ morbique longe absint, ut amici sui longa puraque felicitate fruantur.

Quæ inter exordium finemque includuntur, sincera

(1) Hæc animadvertebat Cartaltus dum in Facultate Parisiensi litterarum de Statio publice disserebat, ann. 1886.

curiosaque sedulitate tractantur. Rarum fit, cum Statius jocatur ; multa vero conscientia, puraque quasi probitate ea scribit, quæ dicere aggreditur. Totus in illis est; verisimile est illi gravissimum fuisse, si quis eum scribentem divertere tentavisset. Adeo intentus operi suo hæret, ut cetera omnino oblivisci videatur.

Dum de Rutilio Gallico disserit, cursum honorum, multaque de magistratibus antiquis nos docet ; dum villam quamdam aut domum describit, ea cura cuncta notat narratque, ut villæ domusve formam speciemque in charta lineis imitari queas; conductum quemdam ducem dicas, dum barbaros Britannosque publica monumenta invisentes comitatur edocetque.

Si quæ Romæ feriæ celebrantur, Silvas evolventi apparent varia omnia, quæ, ab ortu solis usque ad noctem, plebem lætam fecerunt : nec minus doctus de ea re fies, quam qui publica programmata inter theatri cuneos aut vendebant aut emebant.

Si de Lucano agitur, nonne tibi de Lucani vita operibusque summa gravique conscientia, annorum ordinem stricte secutus, omnia exponit?

Inde fit ut Silvarum quasi σχῆμα delineare cupienti, liqueat exordium finemque rhetoricis floribus plerumque inanibusque verbis adornari fucarique : in medio autem virtus, rerumque quasi succus.

Haud aliter pistores inani spuma vacuisque cupediis crustula includunt cinguntque : mediam vero partem dentibus morde, si solido pane eges.

Plurimis Statii versibus perlectis, si quæris quasnam res tibi exposuerit, eas paucissimas esse tibi apparebit.

Paucas res multis verbis expromere valet : unamquamque autem rem ita exprimit, ut eam magis exsiccatam, quam tritas uvas, relinquat.

Licet exemplum adhibeam. Crispinum nobilem esse nos certiores facere vult, neque ad hoc proferendum (V, II, 15), tredecim versus valent. Primum enim ea narrat, quæ a Crispino abhorrent; nam Crispino nec series inhonora parentum nec stirps plebeia, nec sanguis turmalis, nec pauper clavus, nec cætera, fuere; ea deinde dicit, quæ in Crispino reipsa notanda sunt, nobilitatem scilicet clarumque genus, unde similitudinem ducit, generosumque equum quemdam per pulverem et metas volantem depingit. Quo eodem modo res plerumque dicit; non progreditur vates, sed eodem loco eum stare putes, adeo lente cogitata inventaque deducit.

Sæpe fit ut bis terque in diversis Silvis eandem materiem usurpet. Non enim plurimæ sunt res, quas celebravit. Eosdem sæpe locos explanare debuit : tum villæ cujusdam varia marmora, tum gaudia recentis conubii aut pueri novissime nati, tum funus splendidum, tum delicati cujusdam illecebras semel aut sæpius attingit. Parum interest, utrum Violentillæ domum (I, II, 148), an Vopisci (I, III, 36), an Etrusci (I, V, 34), an Pollii (II, II, 85), an Domitiani ædes depingat. Ita enim domus ædificata est, ut frigus defenderetur (I, II, 156 *sq*, et I, III, 5 *sq*); ut otio silentioque fruerentur (I, III, 20, et II, II, 26); ut vita jucunda facilisque foret quasi a Venere ipsa ædes fuissent conditæ (I, III, 10, et I, V, 31). Eamdem admirationem ad alterum ex alterius palatio secum fert (I, III, 14, et II, 2).

Rarissimas pretiosasque res ab amicis collectas iisdem fere verbis extollit (I, III, 46, et II, II, 63, et IV, VI, 20 *sq*; IV, VI, 29; II, II, 65; IV, VI, 27; II, II, 67; IV, VI, 28; II, II, 66; IV, 6, 25). Apellem, Phidian, Polycletum, Myronem, ceterosque fere iisdem versibus assidue refert, statim ut occasio datur. Instrumentum quoddam dicas, quod, si eamdem

clavem bis pulsaveris, eumdem sonum illico reddet.

Sæpe etiam quo clarius res explanet, narrationes longe petitas deducit, in quibus apparet quare Atedii Melioris platanus prona in undas inclinetur, Pholoen nympham Pane prosecuto, vel quomodo Venus, Pergamenses muros prætervecta, adspectum puerum quemdam, Amori simillimum, in sinu foverit omnique leporum atque illecebrarum genere ornaverit, quo pulchrior Earinus splendeat. Priusquam Stella Violentillam uxorem ducit, inter deos in Olympo multa fiunt vel dicuntur quorum Statius eximiis versibus nos participes facit (I, II, 51 *sq*). Quod orationum a fictis personis habitarum genus sæpe Statius usurpat. Quas idem nobis tanta cura tantaque veritate refert, ut eum eas omnes re vera audiisse ac Tironis notulis excepisse jures.

Dum aeneus Domitiani equus in medio foro ponitur, malleorum sonitu ac stridore turbatus Curius sublato capite apparet, immanique signi magnitudine primum exterritus, mox imperatorem suum recognitum effusis verbis extollit.

Nec Curio cedit Vulturnus, dum prope ipsius ripas Domitianam viam muniunt (IV, III, 67) :

> ....Flavum caput humidumque late
> Crinem, mollibus impeditus ulvis,
> Vulturnus levat ora maximoque
> Pontis Caesarei reclinis arcu
> Raucis talia faucibus redundat.

Quam vivida hæc fluminis species, cujus Rhenus, paulo minus loquax, apud Bolæum non oblitus erit!

Qua in via Domitiana præcipue Statius imagines sibi ingere videtur, quippe cum ibidem, paulo post, appa-

reat anus quædam crinibus infulisque alba, scilicet Cumarum Sibylla Domitiano laudes triumphosque in futurum prædictura.

Sæpius enim Statii personæ futura prædicere solent. Longas promissasque explanationes inde ducit : tum Venus Violentillæ prænuntiat, quis ejus conjux futurus sit; tum Calliope Lucano dicit, quæ debeat canere, quam gloriam adipisci, quo fine tacere. Quin et Statius ipse futura noscit ac vaticinatur; tum Abascantium docet quomodo Proserpina apud inferos Priscillam sit acceptura, tum Glauciam certiorem facit ejus delicatum ad Stygis ripas feliciter venturum esse (II, I, 184).

Necnon Statius figura illa uti amat, quam Græci ἀλληγορίαν dicebant. Quæ, quamvis putidam quamdam exquisitioremque artem redoleat, attamen non sine lepore gratiaque nobis refert consuetudinem illam nostrorum pictorum, quos juvabat, proximo sæculo, et in parietibus et in portis ornandis roseos amores inter nebulas volitantes effingere (1). Amores in Statii *Silvis* quoque volitant : tum Etrusci bustum extremum salutant :

> Illa sagittiferi circumvolitastis Amores
> Funera maternoque rogos unxistis amomo.
> (*S.*, III, III, 131.)

Tum pumiceis antris Nereides exsiliunt, ut festos in Herculis honorem apparatus prospiciant; tum navem portu egredientem numina maris comitantur (III, II, 35).

Denique, Statius in cunctis artis poeticæ quasi latebris magis versabatur, quam ut facilem illam fecundamque

(1) NISARD (Ibid., I, 267), Statium cum poeta nostro Dorat confert. Etenim poetas pictoresque XVIII^{mi} sæculi sæpissime *Silvarum* auctor nobis in mentem ducit, Boucher vel Fragonard, Saint-Lambert vel Roucher.

scribendi rationem (1) contemneret, qua res rebus comparando eximias sententias elicere poetis datur. Quod dicendi genus jamjam apud Statium animadvertimus, cum de hominum deorumve historiis vel de terrarum descriptione nonnulla dicta sunt : sæpe autem scientiam minorem, jucunditatem vero parem adhibet. Nunc A. Melioris delicatum puerum, morte ingruente, floribus comparat (II, I, 106); nunc Etrusca media juventa cadit :

Qualia pallentes declinant lilia culmos
Pubentesque rosæ primos moriuntur ad austros,
Aut uti verna novis exspirat purpura pratis.
(*S.*, III, III, 128.)

Eadem ratione hanc sententiam, pedestri sermone dignam, poetice exprimit, scilicet quietem nonnunquam utilem esse :

Et sontes operit pharetras arcumque retendit
Parthus, et Eleis auriga laboribus actos
Alpheo permulcet equos, et nostra fatescit
Laxaturque chelys. Vires instigat alitque
Tempestiva quies; major post otia virtus.
(IV, 4, 30 *sq.*)

Felicissima translatione dicit, quam studiosus observansque Rutilii Gallici ipse sit :

Immensæ veluti conexa carinæ
Cymba minor, cum sævit hiems pro parte furentis
Parva receptat aquas et eodem volvitur austro;
(*S.*, I, IV, 120.)

(1) De qua re non incassum conferes BERNHARDY, *Grundrisz der Römischen Literatur*, p. 496, ed. IV; — CAR. KRAUSE, *De P. Papinii Statii comparationibus*, Halis, 1871.

Necnon pari imagine patre orbatus utitur :

> Labat incerto mihi limite cursus
> Te sine, et orbatæ caligant vela carinæ.
>
> (*S.*, V, III, 237.)

Talibus scribendi rationibus Statii sententiæ in poeticas argutasque imagines mira facilitate et docta quadam varietate numerosaque concinnitate converti solent.

CONCLUSIO

Hoc igitur fuit Statianorum carminum genus, amabile, molle facetumque, potius quam grave vigensque, arte potius quam natura conspicuum, lepidum potius quam elatum. Quæ magis docte ac perite composita, inventa et quasi coagmentata sunt, quam ut sincero motu proprioque animi sensu scripta esse viderentur.

De maximo hujus ætatis poeta dicebat vir illustrissimus, magna in scriptoribus æstimandis auctoritate perspicuaque subtilitate præditus : « L'imagination fécondée par une grande mémoire, c'est là tout le talent de M. Hugo (1). » Quod si paulo severius parumque legitimum est, quod ad vatem nostrum attinet, Statio vero non parvo honori est, fere eadem de ipso censeri posse, quamvis inter eos multum intersit. Nihil est cur obliviscamur recentem poetam nostrum vehementer ac fortiter inimicos suos odisse, odiumque suum eloquentissimis verbis emisisse, nedum, sicut Statius, continuam animi tranquillitatem securitatemque servaverit : nonne tamen animadvertere licet, et Statium miram singula memorandi copiam divitemque res fingendi facultatem exercuisse, nec minus pueros dilexisse, ac lepide pinxisse. Itaque alterius nonnunquam meminit, qui alterum legit ; longe abest tamen ut ex æquo simul procedant. Sed velut in ludis duo cursores arenam eamdem percurrentes spatio quodam distinguun-

(1) D. Nisard, *V. Hugo en* 1836.

tur, ita vetus Statius recentiorem nostrum poetam tardiore gradu assequi videtur :

Proximus huic, longo sed proximus intervallo.

Non tamen mediocria poscat, si quis optet, ut gallici poetæ versus tam diu legantur, quamdiu Statii *Silvæ* viguerint.

Nam vigent virentque, earumque ramos vividus feraxque humor implet, frondibusque vires addit, non minus atque iis longinquis temporibus ubi Ausonius, Claudianusque vel Sidonius Apollinaris Statium imitabantur; aut ubi Dantes, in libro illo XXI « Purgatorii », Statium Maroni magistro morem gerentem inducebat (1).

Silvæ nunc etiam leguntur, ac plurimis de causis valde nos delectant.

Pauci, inter veteres poetas, singularibus hujus nostræ ætatis studiis melius respondent faventque. Nos enim juvat res curiose describi ac minutatim notari; summam voluptatem capimus, si quis extemplo nobis narret, quæ nuperrime acciderint; vix necessarium tempus concedimus, ut doceamur quæ heri, quæ hodie mane domi ac foris acta sint; multique scribæ (2) reperiuntur, qui nobis, moræ impatientibus, quæque extemplo enarrant.

Statius quasi quotidianos commentarios scripsit, ita ut eum generis illius, *le journalisme* vocati, patrem habere liceret. Ita autem scripsit ac singula descripsit, ut ætati nostræ mire placeret. Nam res summa fide, summa veritate ac longum describi poscimus et amamus. Non dedignatus est vel minimas et ignobiles res depingere, communes scilicet humilesque nugas, psittaci cujusdam carcerem,

(1) De Statii fortuna a sua ad nostram aetatem cf. DANGLARD, *Stace*, et LEHANNEUR, *De Statio*, 1.

(2) Vulgo *reporters*.

aut lintrem in portu ancora fundatam, aut pharum in littore splendentem, aut rusticum aliquem facie squalida ex agris in casulam vespere revertentem. Quæ omnia juvant nostros æquales, assuetos tot opera evolvere, ubi nihil nisi ignobilia vitæ urbiumque loca describuntur, dum hic vicorum aut villicorum aut operariorum mores nobis refert, dumque ille nos inter crassos sordidosque mendicos aut inter carbonis fossores aut inter vilissimos perditissimosque cœtus trahit.

Statio tamen major pudor inest, quam ut nos sic ad turpia rapiat, — præterquam si potentium amicorum delicatos defleat. Imo, pulcherrimas res depingere maluit, ejusque auxilio nobis conceditur Stellæ, Vindicis aut Melioris splendidissima ditissimaque tabulina percurrere, marmoreos parietes manu contingere, cælataque ex ære et auro sigilla digitis tractare. Statius genus illud poetice incepit inauguravitque, quod recentes vocant « la critique d'art », quodque tot illustrissimi nostri poetæ excolere atque omni laude augere non desierunt (1).

Cum vero ad hæc omnia accedant festivissimæ, urbanissimæque, facillimæ ac maxime numerosæ in carminibus condendis dotes, quomodo igitur fieri possit, ut Statio — plura licet ei defuisse fatendum sit, — invideamus laudes jucundi amabilisque poetæ, omninoque digni quem amico continuoque favore prosequamur?

(1) Alludimus tot lepidissimis carminibus quibus suum nomen inscripserunt V. Hugo, Th. Gautier, Th. de Banville, Marie-José de Heredia, totque alii.

INDEX

Vidi ac perlegi.

Lutetiæ Parisiorum in Sorbona Nonis januar

anni MDCCCXCI.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.

A. HIMLY.

Typis mandetur

Academiæ Parisiensis Rector.

GRÉARD.

Paris. — Imprimerie Larousse. 17, rue Montparnasse.